AT URBANA-CHAMPAIGN
URBANA, IL 61801

AS PART OF THE
DITTENBERGER-VAHLEN
CIC 6 PRESERVATION GRAN
PROJECT
Funded by the
National Endowment for the
Humanities


TLE: De morum
scriptione Plautina.

LACE: [n.p.]

ATE: 1895

rum descriptione Plautina.
Author(s): Nussbaum, Victor.
Publication:
[n.p.]
Year:
1895
Description:
37 p. 4to.
Language: Latin
SUBJECT(S)
Named Person:
Plautus, Titus Maccius.
Note(s): Pr. [Suczawa]

OCLC: 43831487



2.5 mm
ABCDEFGHIJKLMNOPQRSTUVWXYZ
abcdefghijklmnopqrstuvwxyz
1234567890

PROGRAMM

des

GR.-OR. OBER-GYMNASIUMS

in

Suczawa

für das Schuljahr 1895.

INHALT:

Concess. Tipo- u. Litographie des Erzb. Silv. Morariu-Andriewicz in Czernowitz.
1895.

PROGRAMM

des

GR.-OR. OBER-GYMNASIUMS

in

Suczawa

für das Schuljahr 1895.

INHALT:

Concess. Tipo- u. Litographie des Erzb. Silv. Morariu-Andriewicz in Czernowitz.
1895.

De morum descriptione Plautina.

§ I.

»Postquam est mortem aptus Plautus, comoedia luget, Scena est deserta, dein risus ludusque iocusque, et numeri innumeri simul omnes collacrimarunt«.

Si profecto poëta [1]) ipse nominis famam hoc epigrammate superbo prorogavit, non ex nimia aestimatione sui, sed ex animi sententia hoc protulit. Plautus enim, inter comicos alter Achilles, haud aliter atque hic, cum pugna se abstineret, „Τρώων πόλιν πᾶσαν ἐπιβεβαυῖαν θάρσυνον“ [2]) vidit, qui cum iam suis temporibus artem comicam minui locoque deteriore esse animadverteret, sua morte fore ut comoedia graviter lugeret suo iure praedicere potuit. Quis enim comicorum mores hominum atque ingenia tam diligenter et accurate noverat? Quis efficacius proposuit perversitates et pravitates, illo vita defuncto? Quis denique plebem Romanam ita intellexit ut Plautus?

Anguli quidem secretaque librorum ab eius intellegentia sensuque longissime aberant; qua re, cum magistrorum praecepta defuerint, natura ipsa illi, tenui loco orto (Sarsinae enim natus erat servitiis oriundus) eruditionem mancam festivis argutiis nimiisque salibus, ingenii acumine lepore facetiarum compensavit.

Quibus naturae muneribus severitate mixtis plebis mores emendare et corrigere aggressus, quae Cato, qui eiusdem aetatis erat, gravitate et austeritate ab hominibus honestioris loci impetraturus erat neque impetravit, ea eandem viam rationemque ingressus ad quos sermo erat accomodatus, apud homines humulioris loci abtinuit.

Cum autem hoc dicendi genus sordidum ac parum verecundum lepido atque urbano poëtae temporis Augusti, qui multis salibus Graecorum imbutus erat [3]) eum ad auctoritatem Ciceronis [4]) Latinarum literarum principis delegamus et ommissa Camerarii sententia illud modo Scaligeri, »Horatii iudicium sine iudicio

---

[1]) Gell. 1. 24. N. A. Epigramma Plauti, quod dubitassemus an Plauti foret, nisi a M. Varrone positum fuisset in libro »de poëtis« primo.

[2]) Homeri Ilias XVI. 69.

[3]) Horatii epist. II, 1, 170:

Adspice Plautus
Quo pacto partes tutetur amantis ephebi
Ut patris attenti, tenoris ut insidiosi:
Quantus sit Dorsennus edacibus in parasitis:
Quam non adstricto percurrat pulpite socco
Gestit enim nummum in loculos dimittere; post hoc
Securus, cadat, an recto stet fabula talo.

[4]) Cicero de aff. I. 29. Duplex omnino est iocandi genus, unum illiberale petulans flagitiosum, obscoenum, alterum elegans urbanum ingeniosum, facetum. Quo genere non modo Plautus st er et Atticorum antiqua comoedia, sed etiam philosophorum Socraticorum libri referti sunt.

esse«, memoramus. Nam Flaccus illis erat temporibus, quibus artis poëticae norma et regula nisi adhibitis exemplis Graecorum inveniri non potuit. — Ferat ergo humaniter Plautus, pater omnium comicorum, si proxima posteritas eius ingenium vituperando affligere studebat, siquidem Ioannes Sachs poëta, animo cum eo coniunctissimus, qui Plautus sexti decimi saeculi p. Ch. n. vocatur, debita laude diu fraudatus iustiora posterorum, quam suae aut proximae aetatis iudicia consecutus est. — Qui cum a Goethio et a Wielando in suam dignitatem esset restitutus, Manes Plauti sibi Shakespearium, Molierium, Lessingium optimos defensores elegerunt.

Plautus, postquam exilem hereditatem accepit Andronici et Naevii, qui Graecorum comoedias aut sunt imitati modo aut Latine reddiderunt, non pecuniae quaerendae causa, ut Horatius [5]) ei invidens crimini dedit, ad comoedias faciendas impulsus est, sed eodem impetu commotus est, quo Cratinus [6]), quo etiam Aristophanes [7]).

Quamvis sono parum verecundo, persaepe verbis obscoenis usus sit Plautus, tamen tantum scribendi elegantia et salibus visus est praestitisse, ut Aelius Stilo affirmare non dubitaverit, Musas ipsas Plautino sermone locuturas fuisse, si Latine loqui voluissent. — At Musae non solum Plautine locutae essent, verum etiam cogitassent; nam in Plauto divinum quoddam ingenium inerat. Non enim solum ingenii calliditas, non subtilior naturae humanae scientia, non descriptio morum accuratissima et diligentissima, sed etiam naturae iucunditas, hilaritas, humanitas eum ornabant, ornamentumque optimum comicorum reddebant. Itaque cum Enni Pacuvii, Attii tragoediae affectus ipsos lacrimantium tangerent, Plautina Musa animos ridentium commovit eosdemque animi motus effecit. Hic irrisor petulans, qui honorem familiae Romanae purum et integrum esse non posse ratus est, nisi in cauponulis delituisset, animo coniunctissimus erat cum illo Aristophane, qui ceteris comicis severitate et gravitate praestabat. Nec mirum! Nonne Hieronymus, ille sanctissimus vir, Plautina Musa delectatus est, cum post noctium crebras vigilias remissionem honestam quaereret [8])? Nonne una eademque res est, vitia deplorare et deridere? Quantum igitur maximi tragici Romanorum, tantum etiam Plautus effecit. Quotiens enim sales acerbos solvere coepit, totiens comoediae stratum cecidit, quia asinum pon potuit [9]).

Haec pauca profatus non id egi, ut Plauti vitia aut virtutes deformem, sed id tantum secuti sumus, ut constituamus et designemus, quam rationem poëta in describendis moribus inierit; nam in descriptione morum Plautus semper sui iudicii erat. Quod autem e Graecorum fabulis transtulerat, id illi vitio tantum est datum. Quamquam cum comicis Graecis saepe est comparatus, tamen nunquam evadere studebat alter Menander neque erat. Immo vero ut ille Autolycus colores boum surreptorum ita commutavit, ut verus dominus eos agnoscere non posset.

---

[5]) Horat. epistul. II. 1. 170.

[6]) ὥσπερ δημοσίᾳ μάστιγι τῇ κωμωδίᾳ κολάζων.

[7]) Plutarch bemerkt sehr richtig, (Aristoph. et Menandri comp. I.), dass Aristophanes Diktion alle Stilarten enthalten vom Tragischen bis zur gemeinen Possenreisserei.

[8]) Post noctium crebras vigilias, post lacrimas, quas mihi praeteritorum recordatio peccatorum ex visceribus eruebat.

[9]) Klein: Geschichte des Dramas II. Bd.

At numerus boum tam exiguus erat, ut non tanti esset, furtum facere et propter ea in vituperationem maximam venire. Plautus enim cum verba ad summam caveam spectantia solum faceret, mores ipsas e plebe sumpsit.

Sicut enim in Graecis tabulis homines tantum humilioris loci iique ab initio quidem sontes et risu digni maximas partes habebant, ita etiam ille hunc hominum ordinem retinuit, non modo quod mores et vitam honestioris loci, non ut Terentius, qui maxima consuetudine erat coniunctus cum illustrissimis viris sui temporis, noverat, verum etiam maxime quod intellexit perversitates et pravitates nisi hominum humiliore loco natorum non impune derideri, deridendoque etiam emendari et corrigi posse. Nam cotidianus usus et comercium cum perigrinis imprimis plebi damnosa erant, quae contemnendis vitiis assuesci oportebat.

At non honestate tantum commotus est ut personas e plebe sumeret. Recens erat memoria fescenni unorum Atellanarum, satirarumque, qui ludi iam populo probati erant; quare etiam Plautus in instituta ratione mansit, praesertim cum Graecorum exempla non repugnarent. Sed iam transéamus ad describendas singulas partes, ac primum quidem de »p a r t i b u s p r i m i s« disseramus.

§ II.

In hoc numero sunt: s e r v i.

Mores servorum in fabulis Plautinis tanta sunt varietate distantiaque, ut difficillimum sit initium, quod probetur, describendi invenire. Quod enim vitium facere eminentius vel quam virtutem oportuit? Simplicitas, mitis animus et hilaris, festivitas, sollertia, lascivia pertimescentur confidentia, protervitate versutia, malitia fallacia, ita ut, cum aliis servilis animus semper inhaereat, aliis autem, etiam perditissimis, aliquid patientiae insit, neque boni sint servi neque ad extremum perditi.

Haec magna morum varietas. et servis, qui describuntur in media et nova comoedia Graeca, et duabus personis in Atellanis fabulis maximam partem debetur. A servo Graecorum poëta usum sumpsit familiarem cum domino, qui non erat Romanorum mos, quo plurima servorum solum propria efflorescebant; sic servus, qui quasi armiger herilis filii erat, emunxit senem argento, iuveni honorem abstulit, dominam coërcebat, filiae fenestras ad nequitiam patefecit, ne longum faciam, hoc familiari usu servus paullatim quasi custos signi totius familiae factus est.

Ex Macco, altera persona Atellanarum Plautus cognovit, servo gulae serviendum esse et amori venereo; ex Bucco, oportere eum esse fraudulentum, versutum, callidum, agilem et pernicem. Adde quod poëta ipse familiaritate cum domino etiam fidum animum, voracitati autem et perfidiae omnes sales, omne suum ingenii acumen addidit, itaque effecit, ut servi primas sibi partes expostularent.

Cum autem ne duae quidem personae eiusdem generis sint materiaeque ubertas cummunem descriptionem non admittat, singulas fabularum partes separatim malumus designare, quam simul omnes.

Ac primum quidem in fabula, quae Amphitruo vocatur, Plautus quasi stigma Macci, hominis bis terque stulti Atellanarum, servo Sosiae impressit, quo

dissimilitudines morum inter herum et servum graviores essent. — Dum herus fortissime pugnat, ille aut in vinario se abdit ubi cadus vini erat, inde implevit hirneam [1]) aut praecipitem sese mandat fugae [2]). Neque modo ignavus, etiam timidus est. Ut enim Mercurius verberibus eum irrigavit, omnia agnovit, at qui etiam se non esse Sosiam, Amphitruonem non esse dominum suum. Cum autem desiit deus loris transcidere neque eum amplius esse vapulatorum pollicitus est, subito, quae ipse antea sanxit loco tandem, ubi consisteret, reperto, omnia irrita facit [3]). Iam cum eius ignavia ac protervitate mendacium et ostentatio artissime cohaerent. Servorum enim est mentiri [4]) neque ille paulum dubitat, quin eorum mores ab suis abhorreant. Nimium depicta belli descriptio arrogantis quidem est, sed etiam ingenii fervidi, praesertim cum ipse auctor narrationis non fuerit, in pugna tantumque id unum memoria teneat, se unum diem laborasse fame [5]). — Cuius modi praeterea fuerit, Mercurius, qui eum penitus novit profitetur [6]). Stupidus erat servus et obtusus, quare omne cautionis genus in tractandis nonnullis locis, in quibus maximum ingenii acumen suspicamur, re vera autem stupiditatem modo et ingenii imbecillitatem invenimus adhibendum est [7] [8]).

In altera fabula, quae Asinaria inscribitur, ubi lena illa Cleaereta et Demoenetus senex decrepitus, quorum personas ne Hogarthus quidem, ille levissimus pictor, ausus esset depingere, primas partes agunt, Libanus et Leonida, servi ingeniosissime nequam, deesse non potuerunt.


Alter est prorsus veterator. Per duas odiosissimas res obtestatur Demaenatum, per senectutem, a qua omnino abhorret, et per malam uxorem, quam proximo cuique libentissime senex permittat [9]), quare etiam dignus senex servum digniorem dignissimo testimonio prosequitur [10]). Cupidus est laudis, quodcumque vel maximum scelus, se commissurum esse pollicitus, semper promissi fidem praestat. — Alter conservus, Leonida, idem homo lascivus, cui vero fortuna parum favet.

Iam Strobilus Aululariae, ut Kleinius dicit, servus est in usum delphini, fidelis herili filio et mirifice sibi placet [11]); senem avarum tamquam umbra sequitur, quem thesauro percutiat tandemque cruce dignissimus, diis, Lare, Fide, Silvano auxiliantibus, illum intercipit. — Mores Tyndari (Captivi) ita sunt descripti a poëta, ut audientium vel legentium animos non paeniteat, denique audire illum esse ingenuum. Morem non proprium servorum sibi facit. Si enim quo commercio heri ille fruatur, videmus, confitendum est, eum esse coniunctum cum illo vinculo amicitiae artissimo [12]). Neque fides quam hero praestat, familiaris est, quae rarissime abest ab illiberalitate.

---

[1]) Lessing »Epigramme«.
[2]) Amphitruo 196.
[3]) » 375.
[4]) » 195.
[5]) » 250,
[6]) » 262—265.
[7]) » 693,
[8]) » 591.
[9]) Asinaria 18. 19.
[10]) Asinaria 117.
[11]) Aulularia 579.
[12]) Captivi 236.

Programmaustausch!



Von den Programmen Ihrer geschätzten Lehranstalt besitzt das **gr. or. Obergymnasium in Suczawa** (Bukowina) die Jahrgänge

1874. —

Zur Ergänzung der Programmsammlung ersucht um gütige Zusendung der noch fehlenden Jahresberichte

S. 13/1 896

diensthöflichst

die Direction.

(Von den Jahresberichten obgenannter Anstalt stehen noch zudiensten die Jahrgänge 1862, 1863, 1866—1875, 1877—1885, 1887—1895.)

Wien, Döll'sche Privat. UR.

Druck H. Beiner, Suczawa.

Idem cum Hegio senex demonstrat, in quae sit adductus pericula ementiendo, non commodis modo, sed omnibus suis rebus salutem heri amicissimi antefert, ita, ut clare appareat, eum non servorum modo munere fungi [13]). Adversus hos mores, si quando partes serviles agit, astutiam interdum non prodere non potest. Sed tamen mos et ingenium servorum omnibus locis redit. Cum enim in eo esset, ut eius animus ab Aristophonte detegeretur, consilio a praesenti necessitate repetito, extrema expertus est [14]). Insaniam simulat, quo facilius deterreat Hegionem, senem superstitiosum [15]); cum autem ne ita quidem nihil agat, comitiali morbo afflictatur, quo taedium afferat, vitetque molestum tactum, neque tamen potest prorsus mentiri; omnem ambiguitatem arripit, ut, si nihil aliud, fucatam saltem veritatem reddat [16]). Nudatus denique et detectus cum fletu et luctu queritur, cum tota cavea miros edat risus [17]). Curculionis argumentum est tenue atque simplex neque partes servi suis numeris absolutae sunt; nam si servus numero praeceptorum inseritur, eius personae nulla oblectatio inest, animique audientium insueti servos vitiorum insectatores audire, falluntur. Servo huius fabulae Palinuri nomen est, ut ille gubernator Palinurus, qui ad gubernaculum sedens Aeneae navem rexit, sic etiam servus ad munus admotus paedagogi, verbis castigatum, si non ad virtutem revocat a perdita luxuria, certe ad complexus meretricum.

Impudentia et protervitas servilibus personis fabulae Casinae penitus insitae sunt; et Chalinus quidem his artibus parum imbutus, Olympio autem abundantissimus est. Alter urbanus modum esse abhibendum scit iamque est assuetus hero cotidiano usu, in tempore insistere; alter autem rusticus ignoscere nescit; quo enim herus se submittit, eo magis ei cristae surgunt [18]). Iam hic facile est intellectu, quanti intersit inter servos urbanos interque rusticos; hic alterius arbitrium nullo modo ferre potest; ille est semper adulator et assentator [19]).

Unus e gratissimis servis Epidicus est Plauto [20]); hic consilio et ingenio omnes modos continet, cum ceteris fabulae personis, quasi paginis ludit fallaciasque componit; nil nisi fraudem molitur; si ipse dolum non confingit, certe subest eius malum consilium, quotienscumque de fallaciis quibusdam agitur [21]). Epidicum eiusque indolem tamquam ungues noverunt digitosque suos [22]); quae cogitet, etiam ipse interdum p r o d i t [23]).

In fingendo servo Chrysalum talem informavit poëta, qualis haud scio an nemo fuerit. Hoc enim est optimum exemplar, ad imitandum propositum, qui cum pro certo sciat, se ea lege natum esse, ut herilis filii gratia dominum senem percuteret [24]), omne ingenium, laborem, fidem suam in eius utilitatem convertit.

---

13) Captivi 701.
14) » 532.
15) a) b) » 544. 547.
16) » 571—575.
17) » 646.
18) Casina 315. 704.
19) Casina 278.
20) 21) Etiam Epidicum, quam ego fabulam aeque ac me ipsum amo (Bacch II. 2, 36).
22) Epidicus 258, 259, 154, 378.
23) Epidicus 189.
24) Bacchides 229. 230.

Eius animus ad inveniendum sollers, consilii plenus, perennis fons fraudium; in sapienter sapiendo omne studium ponit. Itaque cum Ulixe, quamquam nihil aliud, quam illum sapientem et improbum fuisse, audivit [25]) se comparat ac gloriatur artificiis, quae exercuit. Expugnatores Troiae nullo in numero sunt ei, cui fortuna omni tempore adest, qui verba dare semel tantum seni maximam gloriam duxit et sine fraude agere cum illo paene scelus putavit [26]); qui denique, quamquam loris, qui caedatur, qui in crucem tollatur dignus est, tamen non modo haec supplicia effugit, sed etiam postremo se in libertatem vindicat. — Chrysalus, fabulae fundamentum, quod Silenius initio prooemii promittit, ut exitium habeat, iam curat. — Ut Chrysalus inter servos Ulixes est, sic Tranio Mostellariae est ingeniosissime nequam homo et sceleratissimus omnium servorum, quos terra sustinet. Est enim miserabilis assentator, qui nihil alterius causa facit et omnia suis commodis metitur; gulosus, cuppes, fraudulentus, mendax, impudens, dissolutus, sine ulla religione et fide, homo fictus et astutus, insuper prudens, impiger, ingenio validissimus [27]). Verus verna — cuius condicio servitutis iam in parvis elementis omne honestum extinxit, moribusque turpissimis viam dedit! Hero non deditus, eius bona abligurrit [28]) minimeque dubitat, herum eiusque opes funditus perdere. Semper scelerum accusationem habet [29]), quae maximo gaudio suscipit, et absolvit [20]). Mendacissimus homo veri nomen modo novit, at mendacii usu exercitatissimus est, ita ut temerarius hoc semper promptum habeat; nam »callidum hercle audivi esse optimum mendacium«. — Callidissime mentitur, ut eius consilia, quibus persaepe expeditur e dificillimis rebus, admodum admiranda sint. Quam callidus, quam mendax homo sit, dialogo amborum senum optime intellegitur [31]). — Neque mirum est, quod Phaniscus putat, hunc etiam deo dolum nectere posse.

Huic nequissimo et improbissimo homini oppositus est probus, homo frugi, Grumio servus rusticus; illi pesti ac perniciei contrariae sunt huius honesta indignatio, observantia, pietas erga senem herilem et filium. Contentio et comparatio morum horum servorum subest huic fabulae.

In Menaechmis mores mutantur. Messenio est domini genius. Fidus comes admonet, ut omnia mala urbis, imprimis sycophantae et meretrices ab illo vitentur, pro hero vigilat, curat ei opes, ne plura, fidelissimus est canis domesticus, qualem servum [32]) iam saepe vidimus [33]).

In fabula, quae »Miles gloriosus« inscribitur, probe depicti sunt mores amborum servorum, alter stullissimus Maccus, alter est Bucco callidissimus.

Ut Palaestrio omnium, qui in hac fabula partes agunt, ingenio validissimus sic Sceledrus, materia optima iocantium, tenuissimo ingenio omnium ludibrio habetur. — Palaestrio est enim callidus artifex consilia struendi clandestina,

---

25) Bacchides IV. IX. 22.
26) » 679.
27) Mostellaria 20. 27.
28) » 529. 1027.
29) › : Quid ego hodie negoti confeci mali?
30) » · 783. 796.
31) » 791.
32) Aulularia IV. I. Mostellaria IV. I.
33) Menaechmi 996.

idem maximam cautionem in dolis nectendis adhibet [34]), qui, si deest factum, verbo utitur. In adulationem se effundit, qua adversarium opprimat, militem gloriosum, immodicum aestimatorem sui ad deos immortales tollit, quin etiam fore ut ipse haberetur Juppiter affirmat, nisi actatis privilegium deesset [35]). Sic militem modo, de quo, quid sentiat, iam pridem [36]) cognovimus adulari potest. Alteri autem omnino aliter obvius fit. Sic, ut exemplo utar, Periplectomenem, senem iucunditatis plenum, omnino aliter adulatur [37]). Hoc tantum iam admirandum est consilium et servi iudicium.

Adde quod fidelissimo animo est in dominum, cuius amore ductus apud militem servus fit, cui adiutor est in omni discrimine, quem denique ab omnibus dolis et criminibus, quae ceteris componit, ipse prohibet. Tales mores poëta consilio depinxit. Cum enim Palaestrioni servo adulescens rerum imperitus defendendus sit contra militem, ostentatorem quendam, qui mendaciis incredibilibus oneratur, et contra stultissimum servorum, huius consilium ac prudentiam, ingenium atque astutiam, omnes animi virtutes, maxime explendescere oportet, quo facilius contrariae opponantur vitiositati istorum hominum. Huic servo prædito summo ingenio Milphidippa sola comparari potest, quæ ut ipse confitetur eum etiam superat.

Sceledrum, quasi pilam habet conservus; sive eius inclutum animum ironice in maius tollit [38]) sive acerbis facetiis eum irridet [39]) sive eum ad incitas redigit, adeo ut homo plumbeus, quasi percussus, ipse se stultissimum esse postremo credat [40]). Quanti aestimetur indoles huius hominis, facile perspici potest ex Periplectomenis dictis, qui ab occisa sue maiorem prudentiam petit quam ab illo [41]).

Lucrio, tertius conservus, nequissimus est omnium et arrogantissimus puer.

Pseudolus, cuius nomen dolo et mendacio est compositum, mores non exprimit; servus est callidus, cuius confidentia cum hilaritate coniuncta est. Is est internuntius, qui occasionem praestat, eidemque, quae hominum trium literarum est mater, etiam confidit. Ex eius consiliis intellegimus, eum magnas partes trifurum non agere. Consilia, ut decet, sunt capta, quamvis inhoneste sint perfecta. Se ipsum cum poëta, qui de nihilo omnia parat, comparat! Infelix! Quantas tempestates hac comparatione excitavit! Adde, quod forte ita evenit, ut Harpax omnem membrorum et totius corporis figuram descripserit, itaque Pseudoli pedes magnos habeat [42])! Servi cogitata huiusque descriptio — per Iovem — Plautum reddunt! Ceterum eam comparationem si exceperis, Pseudolus de more suo non decessit. Et hic emungere studebat Simonem senem, hoc vetus sepulcrum, viginti minis, quas filio suo hero daturus esset [43]). Profecto ad laudem insigne consilium, quod etiam laudabiliter absolutum et perfectum est! Senex videlicet frangere velit huius cervices, capitis scelerum, qui omni fraude et perfidia eum fefellit, sed

---

34) Miles gloriosus 596. 947.
35) » » 1074.
36) » » III. 1. 65.
37) » » II. I. 10.
38) » » (1130) 312.
39) » » 312, 376, 417.
40) » » 376, 417, 540.
41) » » 585.
42) Pseudolus 1219.
43) Pseudolus 411.

impune dimittit quin etiam eum esse spectatorem oportet, quomodo ille veterator duplicem crapulam potaverit, unam mendaciis, alteram dolis.

Quamqam nomen Milphionis memoriam Milphidippae affert, improbissimae ancillarum, tamen ipse fidelis servus est, qui quamvis herus contentus sit, cum illo [44]), tamen rationes heri eiusque consilia non probat [45]), itaque, quotienscumque conveniunt, nil aliud nisi sinistris sermonibus inter se carpunt, alter ridendus ira inopiaque consilii, ut ille eques hispanicus Don la Mancha, alter confidens et inverecundus servus ut illius armiger [46]).

Toxilus Persae haud aliter se gerit, quam ceteri homines huius generis; propterea etiamque Daedalus de illius moribus loquitur; praesertim cum ipse pro irridiculo habetur, circumspectius interpretanda sunt.

Sagaristio, quod loquitur, sentit, quod sentit, etiam loquitur. Servientis animus, qui liber esse vult, non sua ipsius causa, sed quod deinde socordia atque desidia bonum otium conterere possit [47]), minime suae integritati et fidei tribuit et magno opere miratur, quod sunt, qui ei confidant [48]), qui denique, amisso doloris sensu miserrimam vitam degit promptissimoque animo virga subducit tergum [49]). In fabula, quae Rudens vocatur, servus est Sceparnio, qui arrogantissimus et confidentissimus omnium loris herilibus admodum dignus est, quem Pleudisippus multa varie diligenterque monens frustra fatigat surdas aures. Servus nequissimus omnem admonitionem et praecepta repudiat, et ubi primum occasio data est, in sua vitia relabitur. Quam condicionem etiam Trachalionis cum Gripo eiusdem fabulae invenimus [50]), itaque verum fit illud Phanisci (Mostellariae) ut dominum, sic semper esse eius servum [51]).

Stasimi mores a poëta diligentissime depicti sunt; nam omnia bona et mala servorum in hunc unum collata sunt. Haud asperius et absurdius illo verbis vultuque quisquam respondere potest [52]); non quisquam tam arrogans [53]) tam procax est [54]); adest etiam summa calliditas, cui, si deest quem adictum destinat, se ipsum interdum proponit [55]). Cuius versutiam cognoscendi plurimis locis copia datur. Modo timida calliditate ambages exquirit, heri fallendi in ratione reddenda, modo non meminisse potest modo vero in angustias pulsus censorium affectat supercilium, censoris et castigatoris personam tuetur; idem postremo culpam in herum ipsum confert. Talibus vanis et fallacibus nugis servus utitur, cui si non contigit, ut persuadeat, omnes terrae omniaque maria movenda sunt, dummodo testimonia mendaciorum inveniat [56]) nam haec omnia

---

[44]) Paenulus 1. 1. 1.
[45]) » 1. 1. 11.
[46]) » 137. 361—395.
[47]) Persa 10.
[48]) Persa 261.
[49]) Persa 265. 268.
[50]) Rudens 1168.
[51]) Mostellaria 859.
[52]) Trinummus 427. 709.
[53]) » 474—479. 57 a, 720 Bach III. 4. 5. Truc III. 23.
[54]) » 481.
[55]) » 520—545.
[56]) » 404. 413. 520—545. 429.

vitia non solum gloriae serviunt [57]), sed multo etiam magis utilitatibus et sordibus [58]). — At fidelis est, talemque fidum aeque dominum putat [59]) atque ipse [60]), et denique audientium globus non dubitat, quin illius familiaris fides vera sit [61]).

Stasimus latebrarum, quae in homine sunt, sagacissimus explorator est [62]); se ipsum videlicet optime cognovit, quare etiam se ipsum plurimi facit suosque successus, cum nihil nisi eo autore fieri possit [63]), plus aequo laudibus effert [64]).

Ceterum, quod etiam dicendum est de moribus Stasimi nullius momenti est, praeterquam quod serios sermones, etiam ab aliis habitos non amat eosque quam maxime potest, ineptiis iocosis discutit [65]).

Antequam servorum mores describendi finem facimus, Stratilacem mirum quoddam servi caput, in scenam mittere volumus. Poëta, qui servis quamvis fere virtutem abiudicaverit, in fabula, quae Truculentus inscribitur, facit, ut servus pudicitiae custos fiat, integerrimus omnium virtutem auctor. Stratilax est unus et solus homo frugi, severissimus omnium patruus, acerrimus veri defensor, qui iram suam in corruptissima lenocinia evomit! »O divine subulce Truculente! Macte virtute esto! Stratilax, o fortissimum et merum rus, una et sola ars indignantium, maxima formido scortorum« [66]). — Poëtam quoque iuvat, infamato servo, quasi publico flagello usum esse; in sinu gaudet, reputans, quot senes, quot iuvenes, quot Stratephanesae, in cavea tremefacti sint, simul atque eorum mores servus exprobratus est.

§ III.

Iuvenes, mariti, coelibes.

Uberrimus fons, ex quo Plautus partes maritorum coelibum et amantium iuvenum haurire poterat familia ipsa Romana illius temporis erat. Mores maritorum lapsi ad mollitias, iam dissoluti eademque conubia. Non enim fieri potuit, ut in re publica, in qua condiciones servitutis ita florebant [1]), consentiens et prosperum esset conubium. Adde quod lex, quae ab una tantum parte respiciebat, rem, viro omnem potestatem praebebat, uxorem autem vetabat crimini dare adulterum viro [2]); inde sequebatur, ut mores maritorum collaberentur, coniugia autem omnino misera essent [3]). At si quando sapientiores mariti erant etiam tum uxorem non amabant, sed modo aestimabant, qua re etiam cognomen amatoris ignominiosum erat [3]). Perpauci huius temporis ea sunt usi sapientia, de qua [4]) Seneca

[57]) Trinunmus 512.
[58]) » 439, 1009—1054.
[59]) » 1011.
[60]) Etsi scelestus est, at mi infidelis non est.
[61]) Trinummus 617—671.
[62]) » 604.
[63]) » 515.
[64]) » 560.
[65]) » 641, 704.
[66]) Klein Geschichte d. Dramas.
[1]) Marquart—Mommsen.
[2]) Ekastor lege dura vivant mulieres Multoque iniquiore miserae qam viri Nam vir si scortum duxit clam uxorem suam Idsi rescivit uxor, impunest viro Uxor, virum si clam domo egressa foras, viro fit causa exigitur matrimonio.
[3]) Surge amator; egressast domum id 74, id 75 Mercator. — [4]) Seneca: in aliena uxore omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir iudicio debet amare coniugem non affectu. Nihil est foedius quam uxorem amare quasi adulteram.

loquitur. Odium matrimonii iam in animis insidebat; conubium pro gravissimo malo habebatur liberorum tantum creandorum causa [5]); neque mirum est, quod plurimi aut coelibes esse, aut mariti scortantes et quasi bacchantes esse maluerunt.

Apud Plautum partes coelibum invenimus, amatorum, maritorum uxores despicientium, senum libidinosorum.

Partes perditae amantium iuvenum omnibus fere fabulis insunt, quorum exiguo usu, temeritate et animi perturbatione illa vis comica Plauti aeque continetur atque igniculis virtutum et seminibus adhuc integris. Neque erat Plauti severitatem vel dignitatem. sed res ridiculas et nugas describere, qua etiam re maxime differt a Terentio.

Primus error, qui plurimis malis obicitur, est nimius amor adulescentium. Omnes illi insaniunt, mente capti amore fiunt [6]). Id unum agunt, ut in amicae gratia sint, quam in fide ut contineant, nihil inexpertum omittunt, nullam culpam, nullum dedecus recusant, ut voluptatem arripiant [7]). Liberaliter et ingenue educati adulescentes amore corrumpuntur et depravantur [8]). Unam libidinem altera sequitur [9]). Perditissimi cupidinibus tantum serviunt, quarum impetum comprimere iam non possunt [10]) nisi pecunia effusa amica ipsa eos propulsat.

Qui si rem familiarem perdiderunt, etiam honestatem omneque decus amiserunt; nam lacerati, foras eiecti domum clausam obsident et flebiles clamores gemitusque ad sidera tollentes, omnia convicia patiuntur. Praeter libidinem propterque eam etiam altera cupiditas exoritur, clam patre aes alienum conflandi. — Cum adulescens amare coepit, amata autem meretrix est, luce clarius est, tamdiu amorem, quamdiu pecunia tenuerit [11]), copiosi floris futurum esse. Nihil igitur inexpertum omittitur, nulla res, ne foedissima quidem recusatur, dummodo amor amicae in tuto collocetur. Ut trapezita grandi fenore occupavit pecuniam, vel familiaris quidam patris ea fraudatus est, eosdem modo commissationibus commeditur cum meretricibus profunditur ut sumpta est, male enim parta male dilabuntur.

Sin tempus adest, quo doli atque insidiae patescunt, si danista accerrime et adsidue flagitat [12]), tum alios, scilicet bene moratos paenitere coepit ante impure actae vitae, alii autem, iidemque plurimi in novas fraudes, quas fraudulenti servi vel leves socii sceleris excogitant, temere se committunt.

Perpauci quamvis indignantibus servis adiutoribus, qui ebrium adulescentem non amant [14]) ad sanitatem redeunt.

Cum Plautus hac ex parte omnes imbecillitates adulescentium in ludibrium vertat, facere non potuit, quin etiam virtutes eorum notaret. Itaque invenimus nonnullas personas optimo ingenio praeditas, nobili ac fervido animo, fidelissima amicitia, observantissimas parentum, pudentissimo amore erga amicam. Adde quod poëta confligendo proba cum improbis efficit, ut depravatorum adulescentium non magis misereat quam taedeat, in bonorum autem mores, velut luminum probitatis et virtutis omnes se forment.

---

[5]) Egomet me coquo at macero et defetigo.

[6]) Iactor crucior agitor stimulor, versor in amoris rota miser. Examinor feror differor, distrahor, diripior . . . .

[7])—[14]) incl. loca quaedam Stichi et Trinummi.

Eu! Quam vehementissime commovent animos legentium in fabula, quae Trinummus inscribitur, mores amborum adulescentium. Quam ingenuus est animus Lusitilis! Quo sit amicitiæ sensu, id quod agit documento est.

Cum enim de amico sollicitus sit, qui in miserrimum statum redactus est, huius animum commotum irasque, qui omnia, quae aguntur, amicum quaestus causa putat facere, aequo animo fert. Quamquam saepissime in suspicionem omnia humiliter faciendi ab illo adducitur, tamen cum illum omnino confectum curis videt [15]) eum destituere non potest. Itaque quamdiu potest, occultat quid de illo sentiat; cum autem videt in ultimum discrimen rem esse deductam, tum maxima indignatione exardescit [16]) neque ira ultra cohibita iratus ob oculos ponit homini desidioso et prodigo rationem vivendi et demonstrat ostenditque eum umquam rationem respexisse, quid de se quisque sentiat; nunc autem uno quasi impetu famae suae, quam prorsus neglexerit, operam dare; denique ei crimini dat, quod maiores velut nihil aliud voluisse videantur, quam honori posterorum ut vindex fiat. Eius modi est ille amicus, qui numquam iniuriam intulit amico, numquam eum laesit [17]); at eius animus apertus eiusque veritas [18]) cogunt, ut imaginem futuri, quae talem fontem habet, praesentiae apperiat.

Huic magnanimo adulescenti, qui alienissimus est ab illis malorum contuberniis, in quae cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt, Lesbonicus oppositus est, qui levitatem iuvenilem non emendavit amore vero et sincero sed immaturus per homines, vino, ganeis, lenociniis adulteriisque confectos, qui eius comitate facilitateque improbe usi sunt, ad nequitiam adductus est. Hic levi pecuniae effusione amicorum amissa eo pervenit, ut etiam Callides merito atque iure cautiones adhibeat [19]). Sorori, quamquam ea tota erat fratris iactatio [20]) tamen levitate sua egestatem adfert. At poenitentiae venia datur, si reliquas artes eximias respicimus. Cum cosncientiam optimae mentis elatam semper indicat [21]), nobilique ingenium offensionemque propter res angustas nimiam, tum etiam ille pudor, illa ambitio inest, quam nequiquam in perditis hominibus quaeres [22]).

Philolaches Mostellariae alterum est exemplum nobilis adulescentis, qui nos ad misericordiam vocat, simulque fidem facit, se talem fore virum, quem praeteritorum errorum pudebit. Adulescens, olim virili ingenio,[23]) nunc corruptus est. Primum desidiae se dedit, quae ad errores eum avocare coepit; quibus erroribus captus, etiam pravis amoris libidinibus omnino ad inertiam et voluptates corporis pessumdatus est.[24]) Quod quamvis intellegat eumque saepe poenitentia subeat, omnes angores conscientiae cruciatusque subito abeunt, cum Philomatium in conspectum venit. Iste amor hominis adulescentis, imparate imprudenterque in vitam ingressi, qui, ut nova domus, male administrata a domino suo vel parva tempestate aedibus suis est convulsa, ita erroribus iactatus, maxima nos misericordia flectit, praesertim cum ieiuniis praeterita tempora evolvit. Excruciatus et sollicitatus adulescens tum cogitat, cum eius mores aequalibus ad imitandum exemplar propositi sunt,[25]) dum ipse nunc quasi ludibrio libidinibus suis est.

---

[15]), [16], [17]) loca quaedam Stichi etc. 344. 641—654, 631. 679.
[18]), [19]), [20]), [21]), [22]) Trinumus 712; 750; 505; 636, 451, 474, 689.
[23]), [24]), [25]) Mostellaria 126; 135; 1470.

Sin autem de Philematio secum cogitat, eius amor tam dulcis est adeoque nos permovet; ut vix credere possimus, rationem huius adulescentis vitamque corruptam esse.[26]) Denique poëta ipse efficit, ut descendentium animi in illum offensiores, prorsus recollecti, plane non dubitent, quin ille, quae violata sint olim, nunc expiaverit.

Cum iam seriem bene moratorum iuvenum persequimur, mirum est, quare Bertinus neget, Plautum minime curasse, ut vero amori iustum et dignum locum daret.[27]) Sit ita sane; est enim profecto numerus impotentium et insolentium iuvenum maior — at non ita, ut omnes fabularum partes obtineat, vel credamus, cum personae e plebe sumptae sint, poëtam dignum exemplum huiusce ordinis rarissime reperisse.

Etsi res ipsa cogit, ut errores pravitatis persaepe ante oculos habeantur perversitatesque e temerariis cupiditatibus profectae acerrime obiurgentur, — nam aliter fabula docere et erudire non potest — tamen etiam proponendo bonos mores poëta consequitur, ut audientium vel legentium animos doctos ac politos reddat. Ceterum etiam in malis exemplis aliquid invenimus efficiens, quo vel perditissimi adulescentes numero hominum inseri possint. At in proponendis moribus bene moratorum, quorum numerus satis longus est — quibus pulcherrimis coloribus, quibus magnificentissimis imaginibus poëta usus est!

Quam evigilata et meditata, quam delicata est descriptio Pleusidis morum in fabula, quae »Miles gloriosus« inscribitur. Imperitus homo adulescens — etiam timidus in publicum prodiit, omnino ignarus rerum humanarum inertiam suam omnibus locis denudat; sed ex urbanitate et elegantia morum maxime eximiae animi artes emicant. Modestia[28]) gratus animus[29]) vera subtilitas,[30]) dexteritasque pudentem adulescentem notant et bene moratum; is Philocomasiam, callidissimam puellam amat; mollissimis verbis amorem erga eam fidelitatemque praestat; attamen hic amor eum tristis simum reddit, quotiens de inhonestis consiliis, quae fidus Palaestrio quasi ex perenni fonte exhaurit, cogitat, quibus eum amantissimam mulierem sibi conciliare oporteat.[31]) Et Periplectomenes quidem, plenus comitatis incunditatisque senex omni sua auctoritate utatur necesse est, ut adulescentem deductum erigat et confirmet, ne omnino in maestitiam incidat. Amborum i. e. . Pleusidis et Periplectomenis mores describendi principatus poëtae tribuendus est. Quae enim imago elegantior esse potest, quam haec dignissimi peritissimique seniscum nobili et imperito iuvene, quasi quercus cuiusdam imago, cui hedera se circumvolvit!

Ex Bertini sententia mores huius adulescentis ad Plautinas personas apte non conveniunt.[32]) Ut ibi eius elegantiae esse videantur, omnes personas oportet esse scurras, semper enim ex illius sententia vividiores effectus res comica postulat; qua in sententia non sumus, quia Plautus non solum Rudentis, Captivorum ductor est, sed etiam aliarum fabularum, in quibus personae gravissimae et constantissimae confectae sunt.

---

[26]) Mostellaria 85, 148.
[27]) E. Bertin de Plaut. etTerent: adulescentibus amatoribus.
[28]), [29]), [30]), [31]) Miles gloriosus 611, 1183, 615?
[32]) E. Bertin de adul. amat.

Etenim mores Charini licet videre in Mercatore; hic animadvertimus, non nimios furores contumeliasque, laetitias exultantes, amoresque lascivos unas esse rationes solasque vis comicae. Quae enim partes magis ridendae sunt quam Charini? At non furit, non superbit, ingenium non venditat. Perenni modo lamentatione eiulatuque fit ridiculus; non minus quam septies [33]) ad summam desperationem adducitur errore sui amoris. Modo quod patrem fefellit, lamentatur, modo condemnat vitam inhoneste actam modo familiarissimo suo irascitur. Sic oneramur et abruimur flebilissimis verbis nostrique sensus mirifico modo moventur. Ubi tristis sit necesse est, ridiculus fit. Num quid fortius esse potest tali persona?

Praeter Charini morem, quem haud imitamur adulescentium mores, quos commemoravimus, qui imitandi sint, digni sunt. Charini lamentationum, quae viro indignae sunt etiam nos taedium tum capit, cum eum ceteris bonis artibus praeditum videmus.

Alterum vel dilucidius exemplum imbecilli animi Dinarchus Truculenti praebet. Iste stultus amator meretricem, quam semper perfidiosam animadvertit, deserere non potest. Quamquam enim bene intellexit, quo inciderit, quem ad modum miserrimus sit factus, quamvis viderit, amicam trium amantium moderatricem eodem tempore esse, tantum abest ut imperet suis cupiditatibus, ut semper queratur [34]). Auolicus Phronesium ab eo abiit assectatura, qui plus daret, exacerbatus est et iratus; quae autem ut rediit, maxima voluptate est perfusus [35]). Ille verus amator est, quem Astaphium commemorat [36]).

Matrimonio coniunctus, cum felix probe parens est, tamen nihil de sua consuetudine mutat et priori libidini etiam nunc paret [37]).

Nequissimus homo adulescens Callidamates est in fabula, quae Mostellaria inscribitur. Quamvis poëta postea operam det, ut eum ornet et commendet, itaque eius imaginem in meliore luce collocet, tamen mores huius Callidamatis nos offendunt, qui sentimus, haud facile quemquam dissolutiorem esse posse. Lascivus enim est et petulans, acer pater, quem immanitas sequitur; ad hoc ut levis homo, mansuetior atque apertus. Si se mere complevit, eo ebriotatis pervenit, ut nos maximum taedium capiat sui non compotis, adeo ut etsi aliquando sobrius est, tamen eum semper contemni oporteat, praesertim cum facile intellegatur eum sola ductum libidine mox e convivio ad aliud titubanti gradu transiturum [38]) atque tandem potu victum inter amicae bracchia crapulam turpiter adormiturum esse; quippe eum leves adulescentes illius temporis, ut Phedromus Curculionis non aliter aetatem transegerint, atque in conviviis et apud puellas [39]).

Praeter ebriositatem levitatemque, vanitas, arrogantia, helluatio malorum sunt iuvenum. Ut exemplo utar, Menaechmus I, homo ineptissimus se iactat et ostentat [40]) se omnibus heroibus antiquitatis esse parem, quibuscum congruere potuerit; qui autem virtutes quamquam ebulliens et sapientias rei verae omnino non respondet; et profecto quidem non profundae modo est gulae sed intempe-

---

[33]) Mercator 329, 463, 580, 594, 761, 819, 848.
[34]), [35]), [36]), [37]), [38]) Truculentus 725—741, 320, 224. 229. 848. I. 4.
[39]) Curculio.
[40]) Menaechmi 199.

stivae ac sordidae [41]); adde quod immodicus est aestimator sui. Contra frater Sosicles iam praeferendus esset, ni tam iracundus irae omnino frena relaxaret [42]) omnesque bonos mores spe delicatae cenulae perverteret [43]).

Ut Menaechmus secundus Erotium quam stultam putat, fallere studet cum ipse omni dolo capiatur sic etiam Diabolus Asinariae putat sibi amicam emptam esse viginti minis, cum ipsa domi cum aliis amatoribus hanc pecuniam abligurriat nihil magis ridiculum esse potest, quam iste adulescens qui ira excanduit, quem meretrix insana ferme insolentia cavillatur.

Hactenus de moribus adulescentium ex iis, quae commemoravimus, satis intellegi potest, Plautum institutorum Graecorum mutationem fecisse suisque adulescentibus habitum Romanorum attribuisse; nam cum perversitatibus sui temporis, quae partim ex disciplina externa partem ex parta potestate ortae sunt, etiam virtutes adulescentium Romanorum adiunxit. Videlicet hoc spectavit quod etiam ceteri poëtae. ut aetatem suam excoleret vel eius stultitias ineptiasque insectaretur. Pecuniam solam non quaesivit; sin vero Horatius increpitat [44]) quod ille tantum pretio et mercede ad fabulas faciendas ducebatur, aequitati in vituperatione parum consuluit; nam familiam Romanam, ut tum temporis erat, cogitari oportet, si in fabulis Plautinis aliquanto plus quam mores agrestes quaerantur.

Moribus adulescentium artissime se adiungunt illi caelibum et viduorum, quorum exempla etiam rara sunt. Religio enim matrimonii erat adhuc integra; nondum pro virtute, pro pudore divortia vigebant, quamvis lenocinia aliquantum exercerentur.

Iam ab initio huius capitis commemoravimus, matrimonia dilabi coepisse. Confarreatio, quod genus connubii sanctissimum erat, itemque coëmptio in usu esse desierunt; at connubio per usum facto, quod unum et fere solum tum erat genus, divortium facere multo facilius erat quam connubiis quae supra diximus [45]). Praeterea etiam res familiares domini potestatem minuebant. Cum enim antea uxor ad mariti, non ad suum arbitrium viveret qui etiam rei familiaris potestatem haberet connubio per manum institutum est, ut uxor ipsa suae rei familiaris domina esset [46]), itaque animi impetum sequi posset minime veritam ne dominus et maritus intercessionem quandam tentaret. Qua re patris familias gravitas concidit, eodemque modo etiam mores utriusque partis magis magisque lapsi sunt.

In fabulis nonnullis, ut in Asinaria, in Casina, in Mercatore, in Bacchidibus iam dissolutos invenimus virorum mores uxorumque, satisque constat [47]), tales res non insolitas fuisse. Ex loco quodam scriptoris Romanorum rerum [48]) quo quemadmodum Cato (vel alio loco Metellus Macedonicus censor) de matrimoniis et de ipsis feminis cogitaverit, narratur, Plautum vere iudicasse facile intellegitur.

---

[41]), [42]), [43]) Menaechmi 210, 269, 417.
[44]) Horat, ep. II, 1, 170.
[45]) Miles gloriosus 963—964; 1000—1001.
[46]) Mercator 235, Amphitruo 774.
[47]) Asinaria 919—920.
[48]) Livius XXXIV. 6.

Si igitur vir uxorem duxerat, rarissime erat immemor suae utilitatis, immo saepissime magnam dotem accipere studebat, ut quam potuit commodissimam vitam ageret. At ea una res, dotem quam maximam accipere, vel etiam liberis augeri, non tam gravis erat, ut incommoda, quae connubio oriebantur, vincerentur et superarentur. Ideo Periplectomenes a coniugii nexibus liber permansit quamquam aeque magnas dotes exspectare potuit ac liberos [49]).

Taedio necessitas et domesticae quoque aucti usus vitae necessarii admiscebantur; pristina enim frugalitate et simplicitate iam sublata luxuria tam profusa erat, ut, qui fortunis non bene ornatus erat, ei non licuerit, uxorem ducere Itaque haec pestis coelibum vel insolentium maritorum latius vagata est [50]) extra domum nefarium stuprum facere in usu coepit esse, cui furori et audaciae cum uxores haud officere possent, ipsae mores mutaverunt. Et foedissimus quidem erat aspectus nonnullarum familiarum, quarum pater familias suas meretrices, amatores mater habebat.

Quis autem se natum arbitrari potuit ad obiurganda haec morum vitia efferata, nisi Plautus, qui depravatam imitationem labentium morum ad actum scenarum composuit, itaque audientibus vel legentibus hominibus suae aetatis permutatos mores usque proposuit.

§ IV. Senes.

In personis tractandis et corrigendis mediae comoediae haud maiorem Plautinae inventionis felicitatem invenies quam in partibus senum. Cum enim ceteras fabularum partes ad veri similitudinem effictas reddere visus sit, in tractanda persona senis quidem exempla ex vero petita praebere non potuit, ne eidem esset obnoxius vitio, in quod Terentius incidit, cui, quamvis nitide eleganterque descripserit ob magnam siccitatem, quae vera sola reddendo fieri solet, veram vim comicam tamen defuisse constat. Et idem peccavisset Plautus, si strenuum senem et veneratum aetatis Catonianae produxisset in scenam. Adde quod Plauti, vere Romani viri, vultus senum Romanorum in peius fingere non erat. At Graeculi senes nati aptique erant ad movendum maximum risum. Quamquam ipsi non ridiculi risum movere tamen potuerunt. Omnibus enim natura paulo acrior est, quae neque satis temperantiae admittit, ut a stulte factis se tutentur etiam senes, nec satis deliberationis, ut calculos ponant in utraque parte neve postremo illudantur.

Ad eas personas transformandas Plauto maxima ingenii dexteritas inerat; et delineavit senum imagines qui esse potuerunt, etsi nondum adhuc fuere. Scilicet etiam hic illa solum momenta praedicata sunt, quae audientibus Romanis risum eliciebant. Quin etiam eum animi plebis fastidiosi essent, tantumque ludis circensibus gladiatoriis bestiariis delectarentur — comici stulti senes Plautini accepti erant et grati plebi [1]).

---

[49]) Miles gloriosus 679—689.
[50]) Curculio 480; Mercator 686, 687.
[1]) M. Antonin. Comm. XII. 36; Dio Cass. LXXVII. 12.

Sed haud diceres Plautum in senibus nullas bonas artes inesse negasse; non enim obliviscendum est eum aequalem fuisse Catonis hominis numquam non iuvenis, qui summis virtutibus viri adulescentis ardentissimo ingenio praeditus erat. Etsi talem senem non producebat, ne fabulam gravitate turbaret, tamen senes, qui ex ludo Epicureo erant, pluribus locis conatus est describere.

Senex iucundus atque semper bene affectus, qui hilari atque aequo animo molestias senectutis fert, Periplectomenes est in fabula, quae Miles gloriosus inscribitur. Qui consuetudine coniunctus cum Pleusido persaepe admonet eum praeceptaque ei dat. Iuvenilis ardor iterum visus est expergefieri [2]) fronte semper pari et laetus ad iocandum numero senum decrepitorum inseri nullo modo vult [3]); nam habet etiam nunc in corpore aliquantum amoris humorisque [4]). Dulcedine atque suavitate morum est semperque mira alacritate ad iocum aliquem faciendum; sed eius errores sunt tam innocentes, ut iis facile ignoscamus. Licet patefaciat aures adulatoribus, hanc imbecillitatem tamen excusamus, in qua non desideramus illam urbanitatem, quam re Palaestrio quidem ipse ignorat; varii enim sunt generis adulationes; una indecora ac foeda, qua servus in militem gloriosum utitur, altera assentatiuncula tantum in senem urbanum. Senio gravis animo iniuriam aetatis cum haud quamquam sentiat, ut ille Gorgias Leontinus dicere potuit »nihil habeo quod accusem senectutem«.

Etiam alii eiusmodi senes in fabulis Plautinis inveniuntur, ut Hegio, qui nullo modo Periplectomeni posthabendus est, ut Daemo Rudentis, cui ob gravitatem maxima debetur reverentia.

Scilicet non omnes eiusmodi sunt. Plurimi nocentissimi senes sunt, intemperantes, loquaces, quamquam manci et omnibus membris capti ac debiles, tamen venerei et perdite amantes — avari, ne plura vera monstra et prodigia.

Amore capti plerique sunt. En, Demiphonem Mercatoris, senem stultumque amatorem [5]). Ex eius libidine foedissimae artes oriuntur. Fit falsus, se ipsum frustratur, amicos deludit [6]) filio fraudem facit, cum ipse ancillam, quam ineptam filius expulsurus est, per benevolentiam, ut simulat, atque observantiam retinet [7]); ita omnibus nervis contendit, ut perditissimus fiat senum [8]). Quod tempus vitae reliquum est, voluptate, vino et amore studet explere [9]). In primis Venus eminet, impatientissimus morae est, nihil ei longius videtur, quam dum mulierem aspiciat, quam complexu teneat [10]). Immo ne sibi quidem persuadere potest, senes esse, qui ultimam aetatem non expleant libidinibus [11]).

Alter Demipho est Stalino in »Casina«. Is item amore captus, omnibus, qui simul cum eo vivebant, fraudem facit. Itaque cum paullo antea de condimentis amatoriis et de commutationibus, quas amor Casinae perfecit questus sit, uxorem in conspectum venientem uno fere temporis puncto, velut si eodem sensu semper fuerit, maxima iucunditate comitateque compellat [12]) eamque mollissimo vultu aspicit. At ridicula fit haec trabeata anus, si falsa pro veris narrat, quibus postremo quasi laqueis irretitur [13]). — Ad hoc omnibus senum vitiis laborat; modo morosus est et malitiosus [14]), modo humilis et supplex [15]).

[2]), [3]), [4]) Miles gloriosus 422, 624, 636.
[5]), [6]), [7]), [8]), [9]), [10]) Mercator 259, 260; 389; 414; 536; 545; 555.
[11]) »Quasi tu numquam quidquam adsimile huius facti feceris«.
[12]), [13]), [14]), [15]) Casina 213; 355; 425(443.

Eiusdem generis est etiam Demoenetus in obscena fabula, quae Asinaria inscribitur.

Hic initio, anxium se praestat patrem et pium erga filium, mox autem dubitatione exempta cognoscimus, quare filii voluntati morem gesserit. Indulget enim peccatis filii, non solum quod ipse adulescens improbus fuit [15a]) sed quod ne tunc quidem honestus est. Sicut filii libidinibus frena permittit, ita ipse dignitatis suae immemor Libanum, versutissimum servum, orat atque obsecrat, ut sibi eodem modo sit satelles et administer, quo filio in petenda amica. Necessitudo inter patrem et filium intercedens putidissima est. Senex enim turpi amore captus eo pervenit, ut viginti minis, quas adiuvantibus duobus servis nequam ipsi uxori emunxerat, deinde filio dederat, spurcissima peteret ab eo, quae iste non solum praebuit [15b]) sed etiam promisit amicae se persuasurum esse, ut quae pater vellet, faceret [15c]).

Iam avari senes sunt sordidissimi, quorum quasi clarissimum columen Euclio est in fabula, quae Aulularia inscribitur.

Qui reconditos nummos cum cognoverit fontes variarum sollicitudinum molestiarumque, perpetua dubitatione aestuat semperque timet, ne quis speculetur seque custodiat. Itaque infectis oculis omnium oculos incessit, qui deprehendere audeant eius furta. Fidelem famulam anum sibi semper insidiari ratus, vehementius vexat [16]). Noctes pervigilat interdum domi deses sedet, urnaque cum limine continet [17]). Semper gravem suam paupertatem conqueritur declinandi causa [18]) suspicionem quaerentium, quibus diffidit, ut omni generi hominum [19]). Miserrimus rem eo adducit, ut particeps est publicarum pecuniae partitionum, ne suspicio esse oriatur sibi nummos domi esse [20]); quid plura? omnia eius facta testimonio sunt, cum insano quodam amore pecuniae, quae anima et spiritus est [21]), captum esse. Attamen tandem urna rapta est. Quo facto senex mentis non iam compos, terrore omnino percussus. Quid non mortalia pectora cogis, auri sacra fames! Euclione haud insignius exemplum avari senis invenies in fabulis, quas Plautus fecit. Invenies profecto etiam alios avaros senes ut Antiphonem Stichi [22]) ut Callidem Truculenti [23]), cui sex minas de dote filiae deducere etiamtum videtur, cum iustus coniunx suam uxorem rapuit, ut Nicobolum Bacchidum, Simonem Pseudoli et alios, qui tamen omnes Euclione inferiores sunt, illo avaro sene fabulae Aululariae.

Tertium genus est senum loquacium. Senectutem esse natura loquaciorem iam Cato memorat [24]). Plautus, qui vitia singulis solum convenientia iam vere omnibus attribuit, dummodo personas creare posset aptas ad comoediam, certe nihil praetermisit dummodo ea, quae omnibus fere senibus conveniunt, diligentissime exornaret; itaque numerus loquacium senum et bonorum et malorum crebrior est. Unius generis ii senes sunt, qui tectas quasdam opertasque doctrinas

---

[15a]) Asinaria 65—82.
[15b]), [15c]) Asinaria. »noctem huius et cenam ut dares«; 826.
[16]), [17]), [18]), [19]), [20]), [21]) Aulularia 53, 72, 88, 100, 106—110, 170.
[22]) Stichus 407, 408.
[23]) Truculentus 812.
[24]) Cic. de senect. 16.

amant. Plerumque utilissima consilia vivendi dant, qui ipsi persaepe maxima inopia consilii afficiuntur, si factis, quod verbis tam pulchre suadent, probaturi sunt.

Eiusmodi est Periphanes in fabula, quae Epidicus inscribitur. Cui optima consilia [25]) integraque et certa ratio adest, quotienscumque aliis persuadeat necesse est; at ipse semper percutitur pecuniaque emungitur. Ceterum incautus minimeque suspiciosus idemque mitis et mansuetus senex est, quippe cui Periphanes nomen sit id est illustris senex, qui adulescentem se gloriatur militaribus factis famam et divitias sibi parasse [26]) populi sententiis laudari solitus [27]). Scilicet iuvenis solum talibus bonis artibus usus est; enim vero nunc stoliditate insignis est, quod vitium maxima parte ex eius minus commoda loquendi abundantia exortum est. Eius loquacitas audacissimas comparationes proximorum familiariumque [28]) habet; imprimis servus Epidicus ex hac imbecillitate maxima commoda capit [29]).

Simili, at honestiore modo Megaronides senex est in fabula, quae Trinummus inscribitur. Sermone semper promptus corruptissimum seculum insectatur eiusque mores turpes perditosque commentatur eosque quam correctissimos reddere studet. Et is quidem omnia clara loquitur magnaque, ubi vero hoc monendum est, eum ad dicendum promptiorem esse quam ad faciendum eiusque facta a dictis saepius abhorrere. Inter alia animadvertimus eum Callicli plurimam salutem impertire, priora igitur verba, cum de amico absente detrahendi causa maledice contumelioseque dixisset [30]), ad nihilum redacta esse. Talia senis ceterum boni [31]) moribus non conveniunt atque nobis maiori stomacho sunt cognoscentibus, haec sola ex garrulitate exoriri, ex illo vitio, quod est hominum corpore et animo confectorum [32]). Commotus semperque turbatus senex praeceps est ingenio in iram; tum modo mordax [33]) modo vehemens vel etiam malitiosus est [34]). Attamen amicus fidelis est, qui etiamsi interdum non licet, tamen familiares adiuvat. Pueriliter ferme exsultat si quid honestum ex eius sententia succedit, ad quod efficiendum maximo gaudio accedit [35]).

Philto senex eiusdem fabulae, quam proxime memoravimus, suam propriam consuetudinem habet. Is a familia Stoicorum profectus esse videtur. Honestus enim est, magna gravitate et severitate. At is quidem haud aliter atque aequales fabulatur, etsi consuetudinis aestus, quo plurimi senes ad stultitias ineptiasque rapiuntur, eum non absorbet. Ratione sua dicendi ansam non praebet reprehensionis, cum ad scientiam multarum rerum accesserit maximus usus.

Multa cum animo suo cogitat [36]); quotiens autem verba facit semper eum videmus honestum [37]), gravem et severum senem [38]).

Ex his exemplis facile intellegitur poëtam non id solum cogitasse, quomodo produceret senes stultos, quorum perversitatibus risum eaveae moveret. Habent sua vitia senes, at haec etiam ab aliis scriptoribus, ut a Cicerone vel Xenophonte descripta sunt. Plauti erat efficere, ut quam minimum propria vitia bonis senibus nocerent consessusque spectantium oblectaretur-contra malos senes

[25]), [26]), [27]), [28]), [29]) Epidicus 382, 424; 441; 516; 307, 308; 309, 310.
[30]), [31]), [32]), [33]), [34]), [35]) Trinummus 43; 48: 169—198: 423: 760: 770—820.
[36]), [37]), [38]) Trinummus 279; 330; 448.

ita descripsit, ut vitia, quae iam scelera appellare possis, maximum taedium afferant. Eiusmodi senex est Theopropides Mostellariae. Plebeius superstitiosus homo est impatientissimus, curiosus, hebetis ingenii, animo obstinato, delectu omni et discrimine omisso, neglegens in alios, suis tantum rationibus constans. — Ut omnes superstitiosi, perfuncto aliquando tempore, diis gratias habet et pollicetur, se numquam aggressurum esse eundem laborem [39]). Attamen plurima pericula subit, qui in omni re gerenda consilioque capiendo constantiam servare non possit. Mixtum diffidentia suspicioneque dubitatione, metu angore animum gerit [40]) quorum omnium vitiorum semper est avaritia comes.

Easdem partes eiusdem fabulae Simo senex habet. Homo est, qui omnem humanitatem abiecit, qui suo tantum commodo servit, nocendi acerbitate conflagrans alteriusque incommodis gaudens; ad hoc tenuissimo ingenio est, qui uxoris durum regnum sentit; non profundae modo sed intempestivae quoque ac sordidae gulae est, adeo ut ab uxore ipsa, quam metuit, tamquam a diabolo caveat, dummodo aliquem excedere possit.

Aliud iugum impiorum nefarium est in fabula, quae Rudens inscribitur. Labrax et Charmides, sceleratissimi homines, aperiunt alterno sermone consilia sua cogitationesque omnes, ex quibus cognoscimus, hos senes proditissimos omnium esse [41]).

§ V. Partes muliebres. Matronae.

Aetas Plauti in ea tempora incidit, quibus mores a maioribus accepti labefactari coepti sunt. Quamquam seculum belli Punici primi tale erat, ut impudicitia monstrum, non vitium esset. tamen iam secundi belli Punici aetas magnas permutationes morum attulit. Auctae enim divitiae, usus et consuetudo cum gentibus Orientis, ambiguae quaestiones religionum, alia, vehementius moverunt mores Romanos.

Vitia morum, quasi coram poëta, conformabantur itaque feminarum partes, quales Tacitus in libro, qui Germania inscribitur, descripsit, in Plauti fabulis haud invenies, quamqam enim in illo libro de Germanorum feminis tractatur, tamen quod de moribus institutisque maiorum memoratur, etiam ad Romanas muliebres pertinere potuit. Quamdiu enim vita feminarum intus domique forisque certa quadam ratione composita erat, tamdiu etiam connubii religio inviolata mansit. Cum autem mores dissolvi coepti essent, austeritate matronarum ac separatione non laxata, eadem dura severitas tum unus et solus fons erat importuni matrimonii. Quod enim intus domique feminae separatae erant, foris autem liberas omnium rerum voluntates habebant, illa austeritas, quae sola erat et propria matronarum, conformata est [1]), quae virtus integritatem quidem vitae servavit, detraxit autem feminis hilaritatem comitatemque, quae solae artes muliebres virum eundemque maritum beatum reddunt, praesertim cum mores dilabi coeperint, cum legis perpetuae aeternaeque vis, quae quasi dux vitae et magistra

[39]), [40]) Mostellaria 4116; 495—510.
[41]) Rudens 470—550.
[1]) Plat. coni. praec. 27. (Mommsen 59).

officiorum est, percussa et eversa sit, ceterum divitiis auctis etiam libidines pullulare coeperint.

Quamdiu religio pietasque salvae erant, potestas heri incolumis, victus ipse parcus ac parabilis, ne austeritas quidem, muliebris impedimento fuit. Cum vero unanimitate turbata, vinculisque concordiae ruptis feminae connubio per manum potestatem vivendi ut vellent, accepissent, tum videlicet omnem duritiam asperitatemque deponi tantumque mutua voluntate perpetuum matrimonium sustineri oportuit. Itaque constat, nec maritum illam voluntatem adduxisse neque uxorem illi invito umquam studuisse.

Ubi autem hoc mutuae voluntatis vinculum deerat, etiam illa benignissima rerum aestimatio aberat, quae non minus vitiis alterius indulgere solet, quam bonas artes maximis laudibus effere. Ideo vitia feminarum eodem modo, quo aliquando earum virtutes eminebant.

Ac primum dotata uxor maximas molestias exhibet. Haec omnibus cruciatibus afficit maritum [2]; summa est superbia, arrogantia, magnificentia. Amat eburata vehicula, pallam purpuream [3], magnam optat catervam servorum ancillarumque [4], qui ei soli serviant, opifices quoslibet, qui eius utilitatibus studeant [5]), quae omnia etiamtum optata erant, cum marito potestas esset omnia explendi. Ad haec autem, quae per se aliquid excusationis habent neque tamen coniugali amori nimis impedimento sunt, feminae Romanorum, quas aequari viris leges pati inciperent, in discrimen vocabantur, utrum vincula, natura et more imposita amputarent circumciderentque, an bonis animi corporisque antea denegatis nunc studerent, an illis rebus versarentur, quae cum ingenio mulierum omnino non congruunt.

Sed ne tum quidam cum a regum dominatione in libertatem populi vindicaretur res publica, mulieres Romanorum certo modo obnoxiae erant. Velut Graecorum feminae, quae parietum umbris occulebantur limineque pedem numquam efferebant, fama non attrita aliquantum, quarum summum studium erat, ne a viris laudarentur neve reprehenderentur. Civi enim Romanae iam antiquissimis temporibus non solum ludos publicos spectatum ire licitum concessumque erat, sed etiam conviviis interesse [6].

Cum vero mores magis magisque lapsi, privataeque necessitudines male affectae essent, tum etiam mulieres omnia repagula pudoris officiique perfringere coeperunt.

Sed ad inceptum revertamur. Iam supra memoravimus, maximam molestiam afferri a dotata uxore; id non solum a Plauto multis locis commemoratur, sed ab omnibus scriptoribus eaedem querelae illorum temporum audiuntur.

Sed audiamus, quid poëta ipse de his mulieribus scripserit. Imprimis eiusmodi feminae disciplinam domesticam severe regunt et dominum torquent [7]; ex quibus una est in fabula, quae imperiosa est, amoris stimulis agitata, rixae

---

[2]) Asin. 87; Aul. II. 1. 45; III. 5; Iuvenal 6, 460; Seneca: contr: 1, 6, 5 p. 94.
[3]) Aul. II. 1, 46; III, 5, 28; Dio XXXIX, 44.
[4]) Trin. 251–255,
[5]) Aul. 34–38.
[6]) Corn. Nep. praef. 8.
[7]) Miles glorios. III. 1. 94.

cupidissima. Eius regnum omnes sentiunt; dominus, liberi, servi, ancillae, omnes contremiscunt dominam [8]). Quid vero, si non solum se suo iure uti opinatur, sed etiam in suo iure perseverat! Maritum eius regnum perdurum sentientem, coniugii fidem numquam violasse rata, ubi se falsam novit modo solo experta, modo criminationibus Parasiti [9]), quibus diu reluctatam invitamque tandem fidem habere oportet, omni impetu furoris usque ad insaniam redigitur, uxoriaque subripiuntur ornamenta. Ipsa ad Demaenetum, cum amicula dormientem, currit et procellae instar proripit: Surge inquit amator, i, domum [10]). Quater iubet, nec desunt obiurgationes aut dicteria contumeliae.

Hoc modo dotata uxor, quoniam sibi potestatem esse putat, maritum vexat. Nisi est furiosa aemulatio invidiaque, quibus vitiis matrona in Menaechmis est inquinata, tum certe non deest ingenium mobile sollertiaque [11]), summa dissimulatio [12]), mendacii libido oris oculorumque contumacia et superbia lingua celeris et exercitata [13]), aliaque mala tam multa, ut omnium sortem, qui talem in matrimonium duxerunt uxorem, misereamur, ut inter ceteros Daemonem, cuius doloribus commoveamur [14]).

Mentita pietate amoreque ficto Philocomasium est in fabula, quae Miles inscribitur. Ea scit, quomodo se omnibus molestiis liberet, versuta enim et callida bene animadvertit, se ingenio validiorem esse omnibus; id curat, ut illi sentiant, qui eius commercio fruuntur. — At Cleostrata in contrarium vertitur; astuta quidem est, iuvantibus autem ancillis, quidquid suadet, timida Myrrhina parere sueta et divortii metuens Stalionem fallit et vexat [15]).

Dorippa Mercatoris ad discordias promptissima mulier est, suspicax et iurgiosa uxor, quae desinit queri, quamquam decem talentis dotis adductis, quod tales contumelias, talem perfidiam perferre oporteat [16]). Et infert quidem ei iniuriam coniunx! At uxoris convicia nimia nullam excusationem habent, immo coniugem miseremur, quem se abiciendo postulantem sibi ut ignoscatur, uxor insuper vehentissime torquet.

Quae omnia fortasse plura etiam Menaechmus in fabula eiusdem nominis patitur; qui quamvis perfidus sit dolosque uxori saepius nectat, cum huius illota verba audimus, etiam mariti vita facile excusatur [17]).

Dum perfidiae coniugum obiurgiis et rixis uxorum pensantur, uxoris delicto cuidam vel peccato olim commisso maritus nonnumquam indulget. Itaque invenimus in fabula, quae Cistellaria inscribitur, mulierem olim delusam tandemque a compressore receptam quaerentem filium permissu mariti. Neque habet illam austeritatem matronarum propriam sed mansueta est et misericors [18]) et plena amoris erga liberos [19]); quapropter etiam maritus gratissimo animo veniam praebet praeteriti peccati. — Similem personam in Epidico invenimus, ubi Philippa, etsi nescia, patri iusto sui pueri nupsit. Ex his facile intellegitur, Plautum omnia vitia vel mulierum vel virorum non detegere non potuisse; ut autem

---

[8]) Asinaria 5, 2, 38.
[9]) Asin. V. 2, 1.
[10]) Asin. V. 2, 71, 74, 75.
[11]) Mercator 659.
[12]) Miles 364.
[13]) Trinummus 800; Casina 156.
[14]) Rudens IV. 1, 3; IV. 4. 2;
[15]) Casina II, 1, 8.
[16]) Mercator IV, 3, 4.
[17]) Menaechmi I, 2, 5.
[18]) Cistell. II, 68, 75, 85.
[19]) Cistell. IV. 2, 77.

illorum artes eminentiores facere non neglexit, sic harum virtutes etiam praedicavit.

Personae Plautinae, quo incultiores, eo clariores ex vero erant petitae. Cum in fabula Terentiana matronae optime moratae sint, neque moribus Graecorum similes neque Romanarum, in fabulis Plautinis illae mores et ingenium sincerum integrumque a contagione alienarum gentium servaverunt. Si igitur una parte imagines mulierum lascivia iocorum nonnumquam proposuit ridentium circulis, altera non neglexit earum virtutes laudibus efferre, adeo ut ab hac parte dignitatem et gravitatem matronarum, ab illa autem personas ad ridendum aptissimas inveniamus. Si — ut exemplo utar — mulierem quandam zelotypam describit, tum etiam demonstrare studet, quod tanto opere maritum diligat, illam ei adeo invidere [23]). Si clamosam suspicacem, mendacii plenam feminam invenimus, tum rursus mulier describitur, cui nihil dignitatis nihil pudoris — ne multa — nullae meliores artes desunt [24]). Ideo etiam illarum numerus est satis magnus, quae virtutibus eminent, ut Amphitruonis uxor Alcumena, quae honestissima est et civis vere Romana.

Iam in prima scena, in qua Iuppiter partes Amphitruonis obtinet, cognoscimus, Alcumenam se totam in amorem mariti profundere. Cuius amor erga coniugem, quamvis cum lascivia quadam astutiaque coniunctus sit, tamen auctoritatem et dignitatem amandi non detrahit [25]). — Neque vero praebetur solum amor, sed etiam postulatur! Quam probe depictae sunt praeces quibus mariti amor petitur [26])! Ut maritus ad maxima officia revocatur, in quibus perfungendis nullum tempus admittitur alia cogitandi, uxor deserta se maxime illo solatio consolatur, quod eius coniunx illustres splendidosque honores habeat eiusque amplitudo ab omnibus civibus illustretur [27]). Quid opus est, ex Alcumena fingi feminam generosam etiam nostrae aetatis!

Non multum abest quin credamus, Plautum voluisse veram Romanam producere itaque hanc fabulam scripsisse; undique enim imaginem invenimus absolutae matris familias. Audis blaudas illas de viri absentia querelas, quibus pudicitia, quae matronas decet, non deest. Eius amor haud maior est pudicitia. Neque enim in verborum delectu, neque enim in effectuum significatione quicquam est, quod reprehendas. Quali animo est erga virum, tali etiam in omnes est etiam in servos mansuetissima domina. — Qua specie est in otiosis rebus — eadem etiam in turbidis videtur! Vide, quanta ingenuitate queratur! Ut ferat obiurgationes viri, quae semper asperiores fiunt, neque ad indignationem subito veniat. Neque ulla vox exagitatae Alcumenae digna est, quae reprehendatur. Si se falsam putat, etiamtum tacita indignatur [28]) tantumque excusationem quandam coniugis expectat, ut omnium offensarum immemor sit [29]).

Alteram Alcumena non invenimus verum animadvertimus, iisdem feminis, quarum tenue ingenium nil nisi mundis muelibribus delectari videtur, malas bonasque artes iuxta inesse; semper enim ad hoc revolvendum est, poëtam verum solum neque id, quod supra verum est, studuisse fingere. Alcumenae ipsius ima-

---

[20]), [21]) Rudens 248, 189; II, 3, 75.
[22]), [23]), [24]), [25]), [26]), [27]), [28]), [29]) Amphitruo I, 3; 237: II, 2, 12; II, 2, 188, 209; III, 2, 63.

ginem, quam pulcherrime potuit, finxit Plautus, demonstrandi causa, qualis, fuerit olim nobilis matrona Romana, quae tunc tam rara erat.

Iam Pinacium fabulae, quae Stichus inscribitur, etsi non est tam generosa ac nobilis, tamen suis muliebribus officiis gaudet. Quae debeat coniugi scit sororemque, quae non amato viro nupsit, cohortatur, ut illos mores, quos ipsa, eligat, ex quibus solis matrimonium felix exoriri possit [30]). Quid fidelius, quid dignius laude quam Pinacii ingenium! Etiam ipsa est vera mater familias, cuius fidem nihil pervincit.

Talem poëta feminam sui temporis reddidit. Satis constat, eum quam verissime descripsisse ex multis locis etiam aliorum scriptorum vel poëtarum. Sic inter alia Livius, Cicero, Horatius mentionem mulierum fecerunt, itaque Plutarchus, Iuvenalis, Plinius et Seneca similes descriptiones reddiderunt.

§ VI. Puellae ingenuae.

De virginum rebus haud multa sunt narranda. Vix enim accreverunt et ex annis infantiae exierunt, cum desponsae sunt neque ita multo post sibi condicionem quaesiverunt. Breve autem tempus aetatis puellaris ludendo et discendo consumptum est dilligentissima quidem custodia. Modus igitur vitae cum omni varietate careret, partes virginum, imprimis in comoediis locum raro habebant. In fabulis Plautinis duae puellae ingenuae sunt, una soror Lesbonici; altera nomine Phaedra Aululariae.

Etsi inveniuntur, quae in numerum puellarum venire possint, quamquam neque meretricibus neque ancillis attribuendae sunt, haud tamen illas reponas in numero ingenuarum, quia antea vivendi modus non erat talis, qualis puellas ingenuas decebat.

Etiam illas, quas supra memoravimus, duas puellas in scena non videmus; nam vera ingenua puella tum demum cellam nutricis reliquit, cum maritum secuta est —; ambarum indolem naturamque ex aliis cognoscimus et sororis quidem Lesbonici ab ipso eodemque atque a Lysitele, qui illi sponsus est, alterius autem Phaedrae ab Eunonia. Adulescens Lysiteles docet, eam sine dote sibi in matrimonium ducendam esse [1]). Quae res quamquam magnum amorem esse adulescentis documento est, quem ingenuum iuvenem cognovimus, tamen illius patrem honestissimum et nobilissimum virum ita non commoverat, ut nuptias impares permitteret, ni possessione talis puellae solida et sincera felicitas contineretur. At est quidem puella nobilis et ingenua! Quid enim Lysitilem opportuit esse nobili atque abstinenti animo in Lesbonicum, qui, simulacrum sororis tantum, minime dignus erat, qui talis iuvenis amicus appellaretur. — Attamen huius exacerbationes, obiurgationes convicia aequissimo animo fert, atque haec omnia odia Lesbonici honestissimo amore pensat. Quanta sit indoles puellae necesse est, si amator omnia incommoda obliviscitur, quae per eam nascuntur!

Cum Lesbonicus infesto animo sit in amantem iuvenem, summa pietate est praeditus erga sororem eumque poenitet vitae, qua bona existimatio et spes

[30]) Stichus 40.

[1]) Trinummus II, 2, 94: III, 2, 55, 65, 87: III, 3, 4: V. 2, 34.

sororis convulsa et percussa esse videtur. Num tanti interesset, nisi ipsa ingenua esset, utrum dedecori ei an honori fuisset vita? Pater tandem concessit, eam a filio duci in matrimonium. Quamvis moribus filii maxime confisus sit, tamen haec concessio satis indicat, puellam bene moratam, honestam, nobilem fuisse.

Phaedram Euclionis senex amator Megadorus ad nos deducit. Quamvis eius soror se opponat, precibusque fatiget omnia frustra sunt [2]) nam senex bene scit, quam victoriam deportaturus sit, si Phaedram duxerit. »Scio, inquit, quid dictura sis, hunc pauperem esse, haec pauper placet«. Idem etiam patri interroganti: »at nihil est dotis, quod dem, respondit, ne duas dommodo morata recte venias, dotata est satis«. Amici assentiuntur eiusque consilium approbatur; nam omnes bene moratam puellam laudant [3]).

Quid vero Lyconides! Summis precibus matrem fatigat, ut patruum pro eo roget [4]). — »Deus impulsor mihi fuit, is me ad illam illexit! Deos credo voluisse, nam ni vellent non fieret scio«. Quis autem eum impulit, ut peccet? Nempe Amor deus ipse [5]) atque amat eam amore dignissimam. Cum denique senem durum et avarum placasset, mira laetitia exultavit [6]). Nihil autem neque adulescentis verba ita potest exprimere nobilem animum puellae, quam quae Lar familiaris in prologo dixit [7]), quibus religio et verecundia virginis significentur.

Horum duarum virginum mores per alios describuntur. Nam praeter sponsionem nuptiarum, legitimam et illatam iniuriam paucissimae erant causae, ob quas in publicum puellae possent educi [8]). Qua re etiam Telestis in Epidico et filia Saturionis in Persa hoc loco praetereundae sunt. Inveniemus has alio loco imprimis filiam Parasiti, quae sine dubio in numero meretricum referenda est.

§ VII. Meretrices.

Iam venimus ad meretrices, quae maximi momenti personae sunt in veterum comoediis, cum harum mulierum fere tantummodo mores in scenam proferantur; »nam nunc, inquit poëta, lenorum et scortorum plus est fere quam olim muscarum est, cum caletur maxime (Trucul. I. 1. 45)«.

Omnibus locis omnibusque temporibus feminae nulla disciplina coërcitae aderant, atque solum in cultu cuiusque gentis et in moribus positum, quem illae locum inter homines haberent. Politior enim humanitatis meretricum una cum deminutione virtutem gentium colligata atque implicata erat. Satis autem constat, genus scortorum et meretricum Romae acceptum esse a Graecis tum temporis, cum Graeci iam potissimi erant humanitate. Advenae igitur meretrices ab illis, quae in ipsa urbe natae sunt, differebant. Cum enim advena sibi Aspasiam, quae splendore antea incognito scortum circumdedit, vel Thargeliam imitandam proponeret, quarum auctoritate permultae virgines illam humanitatem cultumque, illa blandimenta sibi induerant, quae omnia sordidam artem discusserunt, etiamque strenuos viros, philosophos, lumina rei publicae, facile pellexerunt indigena meretrix, quae humilem questum non pensare poterat amoeno et humano animo, ab illa peregrina valde est superata. Cum pudicitia prostituta etiam corruptissimis

---

[2]), [3]), [4]), [5]), [6]), [7]) Aulul. II. 1, 52; III. 5, 1; IV, 1; IV. 10, 15; V. 1, 1; Prologi 23.
[8]) Benoist de pers. muliebr. p. 14.

temporibus a gynaeceis Graecis omnino abesset matronae Romanorum summo loco natae voluptatibus corporis adeo erant deditae, ut facile intellegi possit, quam dissoni essent mores cultusque utriusque populi [1]).

Ceterum mores Romanorum tamquam in speculum inspiciunt in mores Graecorum qui in Plautinis aut in Terentianis fabulis describuntur, atque ex iis sibi exempla sumunt; attamen virtutes animi diversae et impares sunt. Quae dissimilitudo in diversitate legum sita est. Ut enim civis Romana multam potestatem habuit in maritum vindicandi, qui in stupro compertus erat — ita quidem e multis locis cognovimus — sic in Graecia decus domus et dignitas certa lege servata sunt; ideo etiam novum et inauditum erat, civem Atheniensem meretricem esse factam. Contra Romana maiorem libertatem in illo quaestu sordido quaerebat, ultro de iure matronae, honestae mulieris, decedens. Haec renuntiatio, cuius etiam vestigiis erat notata meretrix, cui non licebat indui stola vittaque matronae ornamentis tantumque tunica sine instita togaque, quae vocatur meretricia, eo rem adduxit, ut meretrices Romanae Graecis inferiores essent, quae nimio sumptu et singulari magnificentia prodibant.

Propterea apud Plautum amabilissima et iucundissima meretrix semper Graeca civis vel libertina est, cum de meretricibus Romanis loquendi occasio rara offeratur.

Meretrices autem Graecae, e veterum comoediis translatae, neque ingenii neque cultu animi iis cedunt, de quibus veteres multa et bona memorabant. Plautinae igitur meretrices eadem lascivia elegantiaque omnibus vitiis omnibusque illecebris utebantur, eademque amoris ratione quin etiam eadem magnitudine animi.

Omnes meretrices pro ingenio, pro cultu etiam pro rebus, in quibus versabantur, in duas partes divisae sunt; aliae advenae vel libertinae clientes eademque frequentissimae, aliae autem servae lenonis vel lenae cuiusdam sunt.

Amborum ordinum non solum servientium vel etiam libertinarum aliae sunt nobiles ingenuoque animo, aliae flagitio et libidinibus mersae omnem honesti sensum amiserunt, quarum vitia plurimis locis eminent, ut in Asinaria [2]) in Bacchidibus [3]) aliis locis.

Divitiis omni modo student, prae quibus omnia humana spernunt. Iam Petale apud Aleiphronem [4]): »optarem inquit, domum meretricis lacrimis ali ac sustineri posse; tum demum maximo splendore viverem, quoniam mens amator illis me large effuseque condonat; at auro opus est, mundis vestibus, servis, ancillis, multisque aliis, quae nostra vita poscit«! Talia ea est locuta meretrix, quae omnes. Plautinas meretrices ingenio atque subtilitate superavit; ex his iam effici cogique potest, ad quas rationes confugiendum fuerit, ut omnia desideria expleantur.

Foedissimum quaerendi studium praecipua causa meritorii scorti erat [5]). Μηδενὸς ἐρῶσα, προσποιουμένη δ' αἰεὶ .... haec una sententia est meretricis

[1]) Liv. X. 31.
[2]) Asinaria I, 2, 7.
[3]) Bacchides III, I, 1; I, 4; V. 2, 47.
[4]) Alciphron 1, 36.
[5]) Miles gloriosus 778; Menaechmi 193; Bacch. III, 14; Truculentus II, 7, 16.

Plautinae. »Qui vir meretricem quondam amavit, satis cognovit nullam rem tam perniciosam esse.

Qui enim draco, quae ignivomens Chimaera, quae Charybdis, quod Scyllae triforme monstrum, quae Sphynx, quae Harpya, quae Hydra, quae viperae venenatae ac pestiferae adsunt, quae omnia non exsuperet scelestum genus meretricum(In fabula Naevii, quae Terentilla inscribitur, imago durae amicae praeclare expressa est:

Quasi in choro pila
Ludens datatim dat se et communem facit
Tenet alium alii adnictat, at alibi manus
Est occupata et alii percellit pedem.
Alii dat osculum exspectandum de labris
Alium invocat, cum alio cantat, attamen alii dat digito literas«).

Si quando pecunia arrepta est, varie consumitur. Cum aliae ea utantur, ut nitorem in cultu victuque maiorem reddant, aliae ad servilia vitia procliviores eam in cauponis et in conviviis dissipant [6]).

Utrumque res se habet, sordidum est studium quaerendi quaestumque effundendi. Sin autem hae mulieres senescunt tantum abest, ut quaestui studere desinant, ut vel suas vel raptas virgines ad viros perducant satiandi causa ipsam pecuniae cupidinem. Pravitas illis altera natura facta est. Belluae sunt denique vero ut utamur verbo.

Postquam in universum meretricum mores descripsimus, nunc per partes illarum conditiones tractaturi sumus, quo clarior imago fiat.

In fabula, quae Asinaria inscribitur Philenium, quae, etiamtum puella primum in publicum prodit exiguas partes agit; sed ni Argyrippum vehementissime amaret [7a]), de ea actum esset, si praecepta et admonitus Cleaeretae sequeretur. Quod autem Philenium concepit amorem ingenuum verum itaque acrem, ut imperiosae matri audeat resistere [7b]), ab interitu detracta, mores servavit puros itaque inseri potest numero dignissimarum huius ordinis mulierum. Ita enim animum commovere potuit Leaena, illa nobilissima meretrix, quae etiam vi tormentorum adducta tamen in silentio permansit, amantemque adulescentem non prodidit. Simili modo amavit etiam quoddam scortum nobile, cuius mentionem Livius [8]) facit.

Aliud exemplum amantis meretricis est in fabula, quae Curculio inscribitur, nomine Planesium, quam Lena quaedam, nihil Cleaeretae concedens, custodit. Planesium cum Bacchide Alciphronis (I. 38) comparari potest; est enim eodem ingenio mansueto eodem fideli animo, ut etiamtunc precibus utatur, quibus ille, pro quo roget, indignissimus est [9]).

Vera propriaque scorta ambae mulieres sunt Cistellariae, in quibus omnia, quae Romanae a Graecis meretricibus didicerunt, adsunt. Spurca enim anima quasi incrustata est externa amabilitate et suavitate. Ex praeceptis maternis

---

6) Cistell. I, 1, 20; II, 20.
7a) b) Asin. 605; III, 1, 36; III. 3.
8) Liv. XXXIX. 9.
9) Curcul. V. 3. 19.

Gymnasium sumpsit meretriciam procacitatem impudentiam, amoris verifastidium [10]; veram autem amicitiam ipsa sibi servavit eandemque animi mausuetudinem [11]. Ita quidem inter bona malaque mixta est. Societas luxuriae et sordium, nobilis misericorsque animus inter se cohaerent. Quantus amor erga Silenium, natu minorem! Quanta diligentia tuetur imperitam puellam! Quotienscumque haec amore torquetur [12] exercitata iam et experta Gymnasium admonitu, praeceptis propositis omni modo eam consolari studet [13]. Connubium putat maxime esse excolendum neque ullo modo concedit eandem viam ut illa ingrediatur, quam ipsa olim est ingressa [14].

Verum, ne earum virginum imago, quae exceptis his imbecillitatibus sensus nostros commovent atque iucunditate quadam perfundunt, turbetur poëta dignam his puellis lenam Melaenem addidit.

Iam media in meretricis parte et ingenuae puellae virgo Telestis in Epidico versatur. Quam, etsi poëta meretricem in scenam produxit, tamen iam ab initio satis indicat, eam non esse huius ordinis; sentit enim ipsa, maximo dedecore ereptam esse, cum honestarum mulierum ultimum locum tenere semper melius videatur, quam primum meretricum.

Quam diversi ab illis, quos supra memoravimus sunt mores Bacchidum!

Iam ab initio videmus, quid futurum sit. Flagitia et turpitudinem nefariam poëta proponit, quibus cognitis terreri debent animi piorum consideratione horribilis irae divinae, quae contemptam et neglectam veritatem tam atrociter ulta est. Adde quod in prologo dicitur [15]. »Bacchus ipse, eas misisse [16], fallacias, quae facerent. Nihil laudabile invenitur. Sordidissimo praeditae ingenio humillimo cultu eademque educatione in artibus malis optime versatae sunt.

Hae sorores blanditiis ceterisque meretriciis artibus haud secus adulescentes devincunt, atque illecebris corruptelarum omnibus libidinosos senes irretiunt [17]. Neque tamen in iis inest illa intellegentia aut ille dicendi lepos, quem in Graecis meretricibus animadvertere soliti sumus. Sermo enim incomptus est atque agrestis, cui etiam animus durus prorsus respondet.

Iam Philematii meretricis in fabula, quae Mostellaria inscribitur, aliquam mentionem supra fecimus; opposita est ei Delphium, scortum plane libidinosum, intemperans stupri plenum, mulier raro sobria. Date, quod bibat, inquit Callidamates amator, qui hanc pestem optime cognovit. Nil nisi epulis consumere noctes cogitat; nam crapula sola voluptas est. Cum eius ebriositate lascivia, astutia, versutia coniunctissime cohaerent, ita ut omnibus maximam nauseam faciat, qui commercio huius scorti fruuntur.

Praeclarum est illud, quod in fragmentis Athenaei (p. 518) invenitur, »nullam belluam longe lateque invenies, scorto peiorem«. Talis meretricis insidias caveat adulescens μὴ λάθῃ ἡδέως ἀπολόμενος. Partes Delphii sordidissimae sunt, quae iam ad prostibulam, infimam huius generis mulierem pertinent; ideo etiam Callidamates commercio huius fruitur, ut solum corporis voluptatibus serviat; neque ista operam dat, ut vitia amabili quadam arte tegat; ad id enim solum adesse videtur, quae suas aliorumque cupidines expleat corporeque corpus alat.

[10], [11], [12], [13]. [14] Cistell. I, 4: I, 1, 114; 62; 71; 80.
[15], [16], [17] Bacch. prolog. 1; 40; 83, 84.

Iucundiorem imaginem mores Erotii in fabula, quae Menaechmi inscribitur, praebent. Quae quamquam summi iudicii [18]) meretricii numquam obliviscitur, tamen cura utilitatis aut illiberalitas non elucent [19]).

Ea enim curat, ut amans vir non solum largiter se invitet, sed etiam bonis eius artibus delectetur; numquam more meretricio neglecto [20]), semper studet utilitatibus suis in perpetuum consulere; si uxor cum viro rixatur, semper a partibus viri est et festivitate comitateque maritum ad se trahit [21]) quid multa! re in universum considerata mansueta est meretrix, etsi interdum dentes restringit [22]).

In fabula, quae Miles gloriosus inscribitur, iterum sunt oppositae duae meretrices. Iam initio Acrotelentium indicat, quacum nobis res sit [23]). Clarissimum enim fere lumen meretricum est, quod omnibus artibus, quae usui sunt, exornata est, ut stultos fallat et illiciat; nam florens aetate formaque est sicca, succida, lepida, fraudulenta [24]). — Ei opponitur honestior Philocomasium, sed et haec natura sua non negata eodem modo confidentem, audacem, ut perfidam et fraudulentam se ostendit [25]).

Singularis persona est Pasicompsa, meretrix quaedam in fabula, quae Mercator inscribitur. Neque enim similis est Acrotelentio, cui omnes illae artes insunt, quibus virum capere possit, neque Philenii, neque Philocomasii urbanitatem habet, quo humilem locum, quem tenet occultet. Ceterum innocens et simplex puella est, quae magis idonea est filiae partibus pagani cuiusdam civis quam ad serviendum libidinibus podagrici senis; nam vere amat, pudice loquitur [26]). Prorsus honesta est et grata memor cuiusque beneficii [27]); nihil simulat; nec verba nec facta sunt tecta.

Ipsa fatetur, quam nihil didicerit, quantulumque sciat [28]). Pudore quodam, quem in aliis non invenimus, errorem confitetur, confessaeque simplicitas admodum est admiranda [29]). Quamvis desit pudicitiae venustas, tamen nemo audeat contendere, non esse illi leporem nescio quem, dignitatem quandam, qua omnino secernitur a muliebribus, quae nomen idem habent meretricum.

Phaenicium Pseudoli in scena non videmus. E litteris autem, quas ad Calidorum misit [30]), multa cognoscimus, ut gratiam amoenam, haud expertem nimii cultus et praecipue exquisitam scientiam voluptatum, ita ut facere non possimus, quin inseramus eam numero Phileniorum, Philocomasiorum aliarumque.

Quo saepe usus est, eodem comico artificio poëta Adelphasio in Poenulo opposuit Anterastitem. Quae quamquam palam, se meretrices esse utraque fatentur, tamen has removere ab illo genere poëta studet. Ita in primo actu secundae scenae animadvertimus, eas esse superbas atque sibi arrogare primas partes. Quamquam artem non detrectant, per quam victum quaerant, tamen effugiunt lenonis servitium et se totas sacris Veneris dedunt. Sin postremo castae permanent, tum etiam hoc ludibrium casus ediderit fortuna, quam poëta ipsam arcessivit.

---

[18]), [19]), [20]). [21]), [22]) Menaechmi 193; 369; 907; II; 3, 2; IV, 3, 14.
[23]), [24]), [25]) Mil. glor. 874; III, 3. 14; II. 2, 33.
[26]), [27]), [28]), [29]) Mercator III, 1, 10; III, 1, 26, 27; III, 1, (35—45).
[30]) Pseudolus I, 1, 49.

Omnium fere impudentissima est Phronesium meretrix in Truculento, quae omnibus artibus malis imbuta est. Est enim versutissimum scortum, etiam lepidissimum et bene cultum [31]) ingenuum sed maxima avaritia [32]). Trium amatorum moderatrix est, ut enim uni soli sit fidelis, facere non potest. Quamquam tu me, ait Phronesium, pro derelicta habiturus es, tamen amatoribus non careo. Nam murium ritu alia quoque perfugia habeo — militem et Strabacem [33]). Si fallere, si scelera committere potest, tum demum ei animus redit. — Ut Dinarchum delusit, munusque ab eo aufert! Ut simul spoliat rusticum et militem! Hi stultissimi, etsi ludibrio habentur, in illo scorto tamen haerent. Piscis quasi est, qui semper lavat; at etiam magis quam piscis lavationem amat.

In cogitando agendoque, ut est, se veram militi praestat [34]). Mala est, quia malis nata est, male agit, quia malis gaudet; dignissima ergo ut opinor, est Cleaeretae alumna! Cum hac femina, quae inter prodigia numeranda est, non solum meretricum sed etiam mulierum ordo terminetur. Quae enim de mulieribus servientibus sive de ancillis etiam dicenda sunt, perpaucis potest explicari expedirique. Quarum partes cum plerumque parvae sint, haud aliud quam mediocre expectari potest. Modo bene modo male moratae sunt, modo fideles modo fraudulentae et dolosae. Unum tantum iis omnibus inest, id est; eas ad serviendum natas esse. Qualis domina, talis est etiam serva. Bona honestaque apud bonam est mala apud malam dominam. Si meretrici servit, nil aliud fit, quam prostibula, cui ingenium dominae absit.

§ VIII. Parasiti.

Ut animantium quaedam sunt, quae succo vitali aliorum aluntur, sic ex morbis, qui mores pertinent, unus ust, cuius est prima lex, de alieno vivere non de suo. Qui morbus apud veteres parasitus appellatus est, foedum ventris animal, quod e Graecia et Sicilia Romam repsit ibique domus divitum diu infestas reddidit. Iam Homerus cognovisse dicitur hoc animal, at nos id solum scimus, parasitum iam in veterum scenam productum esse. Apud Athenaeum parasitus haec ferme de se loquitur: »In illius domum inquit venio, qui eo contentus est; me invitari satis est, si quis morosus est, venio, etsi non vitatus, ibique dicax sum et salsus risumque moveo, cum patrem familias laudibus effero; si quis mihi obloquitur, in eum maledicta congero. Postquam cibo vinoque largiter satiatus sum, abeo; nullus servus mihi lanternam praefert; per tenebras titubans domum me traho; fessus sine torali et lodice obdormio, donec merum vinum vexare coepit stomachum«. Alio loco apud eundem Athenaeum fragmentum quoddam Eupolis invenitur, in quo de parasito haec dicta sunt: elegantiore cultu esse illos oportet; iis duo ora esse debent, quibus in foro stultos eosdemque divites homines alloquantur; oculis lynceis uti eos necesse est, quo facilius convivia indagent atque adorentur; postremo promptissimi lingua esse debent et pleni facetiarum; ni ita enim res se haberet, foras extruderentur.

Talia parasiti exempla etiam Plautus e Graecorum comoediis sumpsit. Scilicet haec solum exempla erant, quae poëta moribus Romanis exornavit

[31]), [32]), [33]). [34]) Truc. II, 4, 2; 552; 834: II, 5, 17.

Cum antea unum genus parasitorum notum esset, in Plautinis fabulis iam tria genera inveniuntur. Primum genus est Γελωτοποιῶν, id est scurrarum, qui risum iocis facetiisque movent, quique pretio cenae etiam flagris implentur. Hoc genus non nimis morosum est; tantum modo eius condicio miseranda est; in quo genere Ergasilus Captivorum, Gelasimus Stichi, Saturio Persae, et alii ducendi sunt.

Secundum genus est κολάκων i. e. adulatorum, qui divitem et stultum hominem laudibus ad coelum extollunt. Quod genus tristissimum est; hi omnia habent ludibrio multaque astutia eo rem adducunt, ut, quorum impensis aluntur, hi haud facile iis caveant. Huius generis praestantissimum exemplum est Artotrogus Militis gloriosi.

Tertium denique genus Θεραπευτικῶν i. e. procuratorum, qui personam servorum agentes a mane ad vesperum desudant in adiuvandis amantibus in investiganda pecunia gurgitibus atque voraginibus patrimonii denique in ducendo ad studium sui uxorem adulterii mariti. Hoc genus sibi avidissimum, risu dignissimum invenitur in fabulis, quae Asinaria Curculio, Menaechmi, Persa inscribuntur.

Illud parasiti, venio etsi quis non contentus est neque me vocat; Ergasilus semper mirifice coluit. Iamque ab initio [1]) id potissimum sequi debere putat parasitum, ut neque invitatus neque vocatus tamen cenae adsit. Quasi mures inquit, semper edimus alienum cibum! ab hac consuetudine numquam potuit recedere, nam cibus, quem de suo sibi parat, eius corpus ad maciem reducit; »at quod aliquantillum foris gustat, id beat [2])« Quamquam amabilissimus et iucundissimus omnium est parasitorum, qui Hegioni prorsus devinctus est [3]) etiamque se dici domesticum non hospitem vult [4]) tamen suum morem secutus a proposito numquam decedit; servat veterem atque antiquum quaestum maiorum obtinet magnaque cum cura colit.

Saturio, in fabula quae Persa inscribitur, haud aliter locutus est [5]); idcirca cum calceatis dentibus semper ad cenam alterius venit, nullas inimicitias pluris aestimat, quam si sibi mensa inanis adponatur. Fame laborare summum malum ei est [6]). Omnia ergo facit, ne venter gutturque resideant esuriales ferias. Vendidit ingenium, quo adipisci solebat, menstruales epulas [7]) Volucerrimus nuntius est, quia sperat, se aeternum cibum adempturum esse [8]). Quo maius praemium fiat Hegionem curiosius quam necesse est, requirentem expectatione nuntii multo maxime erigit [9]). Postquam omnia enumeravit, quae cibo opus sunt, interroganti Hegioni, cur tantos apparatus faciat, hodie mihi inquit, nam ego nunc tibi sum summus Iuppiter, idem ego sum Salus, Fortuna, Lux, Laetitia, Gaudium! Omnia haec verba facit solum ventris causa. Denique nuntiat, filium se vidisse et servum Stalagnium. Quae Hegio cum non credat, per deos iurat. Ita me amabit sancta saturitas, Hegio, itaque suo me semper condecoret cognomine, ut ego vidi! Hegio ad portum currit et parasitus, cui aeternum victum senex promisit, non compos est mentis prae gaudio, nam id, quod petit, adeptus est [10]). Non multo

---

[1]), [2]), [3]), [4]) Captivi 76; 132; 137, 141; 147.
[5]) Persa 53.
[6]), [7]), [8]), [9]), [10]) 464; 784; 780; IV, 1; 901.

alienus ab Ergasilo Gelasimus est Stichi. Qui ex quo natus est, numquam fuit satur, qua re tamem sibi matrem fuisse suspicatur [11]). Sed fames eum decem tantum menses in alvo gustavit, quam ipse plus decem annis gestat.

Semper esurit, idcirco omnia vendere decrevit; logos ridiculos vendit, cavillationes, assentiunculas, nihil prodest; denique patrem familias aspicit et ut lappa circa arbores sic parasitus circa dominum se volvit. — Cum ceteri munuscula, quae dominus attulit, maximo gaudio accipiant, Gelasimus quamquam non cogitat, auctionem facere, cui hereditas obtigit, neque logos vendere, tamen indignatus est cum audiret, herum secum ridiculosissimos parasitos advexisse; proinde exclamat: venales logi sunt illi, quos negabam vendere. At utcumque res se habet, praesertim cum moris parasitici sit, stomachum omnium rerum principium haberi, etiam in studio suo se totum domino dedit [12]). Tenerrimis cogitationibus oblectat animum heri ieiunisissimus autem fit, dummodo sermo de cibis inferatur [13]). Miserrimus homo qui ab omnibus precario petit cenam, a nullo autem auditur; tandem iustum virum se putat invenisse, qui eum ad cenam vocet at Pamphilippus foras promisit alii ad cenam. Parasitus etiam nunc falsus ultimam spem abiecit aliquando edendi. Omnino desperatus abit gulamque decrevit potione onerare.

Neque vero parasiti talem tristem exitum habebant; callidiores enim homines cibum quaestumque ex iocis ac salibus captare aspernati, assentatunculis et adulationibus gratiam stultorum aucupabantur. Ita ut exemplo quodam utar parasitus Artotrogus fecit in fabula, quae Miles inscribitur. Pernecessarius homo est, quo Pyrgopolinices carere non potest. Quis enim militem magis dignari potest rebus gestis, quam Artotrogus, quem si audies, militem unicum et optimum imperatorem esse putabis [14]), eumque uno spiritu legiones nepotis Neptuni diflavisse. Stultissimus miles autem inania verba, quae pro veris habeat, Artotrogi arripit, maximoque amore eum amplectitur, qui tam gloriose mentiri potest, et in periculis timidissimum quasi metus absit, inflatissimum maximis laudibus effert. Scilicet stultus miles causam parasiticam nescit. At ipse Artotrogus fatetur: Venter, inquit, creat omnes has aerumnas, auribus peraudienda sunt, ne dentes dentiant«.

Et sane nulli parasito umquam melius fuit, quam Artotrogo; ex mendaciis enim et ex permulcendo aures militis cibum quaestumque largiter captat.

Tertii generis personam agit Curculio parasitus. Homo totus ex fraude fallaciisque factus socius est consiliorum adulescentium et adiutor in nectendis dolis et fraudibus. Idem inani superbia tumet, si machinae prospere succedunt. Ita militi cuidam anulum furatur, quem pro pecunia oppigneratum hero suo tradidit. Herus enim ei alter Iuppiter est, quippe qui eum nutriat et alat. Sin autem ad cenam aliquando non invitatur, dominus caveat, ne murem in pera cum proprio damno habuerit. Talem venenatam viperam in sinu atque deliciis habuit Menaechmus. Hic enim quamdiu esca ac potione ab hero vincitur, tamdiu non aufugit [15]). Ut vero in eo est, ut unius cenae spe orbetur, omnem furorem in dominum effundit et cum uxore illius perniciem in eum machinatur.

---

[11]), [12]), [13]) Stichus 153: 455: 468.
[14]) Miles. glor. 9.
[15]) Menaechmi I, 1.

Iam vero parasiti, cum aliena mensa vivere studeant, quod quidem maxime proprium est parasitorum, etiam in rebus culinaribus peritissimi sunt, quare inter eos et coquos maxima est concordia. Itaque plerumque in culina reperiuntur, ubi cibos gustant [16]) coquos docent, provincia funguntur, quae erat antea parasitorum [17]). — Voracitas parasiti etiam coquis admirationem inicit [18]).

Denique haec sunt annotanda de parasito Plautino. Quamquam partes parasiti Plautini proxime accedunt ad mores Graecos, tamen persona ipsa plebi Romanae gratissima erat, in qua tamquam in speculo natura hominum humilioris ordinis cernebantur. Itaque Ergasilus, quamquam res Calydone, in urbe Graeca, aguntur, de porta trigemina, quae Romae erat, loquitur [19]). Idem dicteria dicit in omnes ordines; modo vehementer in olearios, qui ex compacto rem agunt [20]) modo in frumentarios [21]) modo in pistores [22]), qui alunt furfuri sues [23]) modo in macellarios [24]) qui caedendos agnos exsecant, et duram agninam danunt«, modo in piscatores, qui praebent populo pisces foetidos [25]). Etiam alio loco mores Romanos invenimus. Postquam enim parasitus per Apollinem iuravit et per Proserpinam, quam Graece Κόραν appellat, quodve nomen etiam urbis cuiusdam in Campania est, pergit Graece iurare per Praeneste, Signiam, per Phrunisionem per Aletrion, quae omnes urbes Italicae sunt, quas asperas nominat [26]) denique etiam Boios qui nuper noti erant Romanis, memorat [27]). Ex his facile intellegitur poëtam tantum mores Romanos per personam parasiti significatos voluisse. — Item Gelasimus parasitus Stichi morem Romanum docet. More enim Romano auctionem instituit [28]) et auspiciis, quae moris sunt, omnino confidit. Etiam Peniculus Menaechmorum [29]), homines circa sermonem insanientes cavillatur illosque carpit, qui in comitiis a mane ad vesperum operose nihil agunt; memoratu dignum est et grave, quod parasitus Curculio de ocullionibus loquitur, quorum mos prorsus Romanus est.

Ex his atque aliis videmus Plautum non solum Graecos mores repudiasse eosque cum Romanis condicionibus mutavisse, sed etiam ut e loco quodam Curculionis [30]) optime intellegimus, poëtam humili loco natum, etiam nobiles, quos Graeci scriptores, ut Menander, plurimi aestimaverunt odisse, quam sententiam uno loco fabulae, quae Stichus inscribitur, confirmare possumus [31]).

Itaque ex parasito Graeco Romanus factus est et plebs, quae propensa erat ad voluptates, alienum locum non animadvertit neque voluit.

§ IX. Milites gloriosi.

Proprium est genus militis gloriosi apud Plautum. Dum alii, ut Terentius Lucianus etc. nonnunquam longius ab exemptis Graecis recesserint, Plautus id solum egit, ut a plebe laudaretur et non probaretur, quare sine cuiusquam

---

[16]) Captivi 471.
[17]) Ipsi opsonant, quae parasitorum antea erat provincia.
[18]) Menaechmi 222, 223.
[19]), [20]), [21]), [22]), [23]), [24]), [25]), [26]), [27]) Captivi 89; 490; 494; 807 etc.; 885 etc.
[28]) Stichus 105.
[29]) Men. 320.
[30]) Curculio 307.
[31]) Stichus 119.

similitudine, quod voluerit, consecutus est. In eius fabulis miles non solum gloriosus sed etiam scurrilis est. At plebs Romana assueta fortissimam se appellari gentem valde delectata est humilitate Graecorum, quos ne poëta quidem ipse umquam dilexit. Miles gloriosus iamdudum notus erat. Ita meretrix in fragmento quodam Phenicidae comediae dicit: »Primum habui militem amatorem, qui facinora mirabilia usque decantavit, numquam autem ne tiruncium quidem exprompsit, falso promissis donis, quae a rege quodam se accepturum esse simulavit. Ex his verbis militem Plautinum cognoscimus. Quicumque enim miles Plautinus in publicum prodit, magna sua facta enumerat, quae cupido narrandi vitium est penitus insitum eius moribus. Ita Therapontigonus in fabula, quae Curculio inscribitur, omnes interrogationes ex alto repetit multasque res insulsas atque inanes reddit, dum id quod necesse est, explicetur [1]. Itaque miles Epidici suas gestas pugnas memorare omni modo studet Periphani seni invito [2]. In Poenulo re vera iam audimus, quas pugnas mirabiles Anthemonides miles gesserit. Uno die sexaginta milia hominum velaticorum suis manibus occidisse dicitur [3]. Tum rem maximo ordine denarrat eodemque modo Lyco minutatim interroganti Anthemonides respondet, adeo ut nobis haec denarratio maximum taedium praebeat. Etiam Stratophanes miles in Truculento praedicare solet pugnas, quas gessit; at cum bene sciat, multos milites iam antea mentitos esse, se non sermonibus sed manibus dicit praestiturum esse bella, quibus videlicet venditatio militis eo maior fit.

Alterum vitium horum militum est, quod sibi admodum placent et gloriae cupiditate volitant. Quam ob rem a Pyrgopolinice Artotrogus parasitus indulgentia corrumpitur, quippe qui non solum eius ostentationibus venditationibusque aures faciles praebeat sed et iam ipse eius facta ad sidera tollat [4]. At militi absenti quam male dicit! Simulac enim miles discessit, non solum parasitus ad gravissimas verborum contumelias descendit [5] sed etiam versutissimus Palaestrio, qui coram maximis laudibus eum effert, clam eo autem fatetur, herum elephanti curio circumtentum esse non suo neque habere plus sapientiae quam lapidem [6]. Itaque etiam Astaphium callida meretrix Stratophanem sublectat verbis gloriosis [7]. Idem Stratophanes inflatus magnificis suis facinoribus etiam in amore plus aequo sibi sumit; puer e vicina domo raptus quin suus sit non dubitans, eius tenera aetate bellicas virtutes iam manifestas miratur et ad educandum Martis filium, quidquid potest, laetus largitur. Etiam ex aliis locis cognoscimus milites magnos esse amatores mulierum; Pyrgopolicem, ut exemplo utar, Palaestrio docet, moechum mulierum esse, adeo ut neminem nec fuisse nec fore umquam credat [8]. Itaque etiam meretrix Acrotelentium de eodem milite dicit; Populi odium quidni noverim magnidicum cincinnatum, moechum unguentatum! — Ceterum ipsi se putant esse nepotes Martis Venerisque.

---

[1]) Curcul. V. 2.
[2]) Epidicus III, IV, 17.
[3]) Poenulus II.
[4]), [5]), [6]), [7]), [8]) Mil. glor. 13; 24; 255; 458; 768.

§ X. Partes secundae.

Lenones et lenae.

Si partes lenonis Plautini perspicere volumus, id solum audiendum est, quod Trachalio servus de eo loquitur [1]). Etsi translationes eius, qui ipse est versutissimus homo, audaciores sunt, tamen de iis recte iudicasse videtur, quibus nihil in terris peius est. Poetae ipsi non est contumeliarum satis, ex quibus cognomina trahat. Impii enim sunt agrestes, omnia fraudandi causa faciunt. Periurium facere moris est [2]). Quin etiam si necessitas abit, eorum ratio et institutio est, peierare, quoniam periurium rei servandae causa adest pro eorum sententia neque illo omisso perdendae [3]). Qua de re diis perosi sunt [4]) neque homines de iis non solum non bene cogitant sed ab initio plane non dubitant, quin corruptissimi homines sint. Nulla enim res iis sancta est. Omnium avidissimi sunt recti accipitres pecuniae [5]), cuius pretii non solum alienarum raptarumque vel etiam suarum virginum corpora vulgant, quin etiam se ipsos proiciunt modo quaestum faciant. Ius et omne fas delent [6]). Unum bonum solum hae traetrae ac pestiferae beluae habent; se ipsos optime noscunt. Ita Dordalus, optima bestiarum, se bonum esse coepisse dicit sed neque posse neque velle, ne antiquitus acceptis moribus lenonum repugnet; scelerate autem impie et fraudulente agere, moris lenonum esse [7]). Si vitia reprehenduntur, non irascuntur. »Hominem ergo, inquit Simo, hic quaero malum legirupam, impurum, periurum atque impium! Me quaeritat, Ballio respondet nam illa mea sunt cognomenta [8]) In eadem fabula se ipsum Ballio cavillatur, cum iis, qui eum maxime impiorum vitiorum convincunt, non irascatur. At quo animus impurior, et inhonestior est, eo deformiores sunt corpore. Si figuram videbis, lenonem agnosces [9]). In hac re omnium descriptiones consentiunt. Sunt enim subviridibus oculis, collativo ventre, tortis superciliis, contracta fronte, recalvi et silones. Tali figurae etiam mores respondent.

Iam Lenae probatum morem mulierum sequuntur. Cum femina in universum intemperantior sit viro eiusque mentem animus saepissime praecipitet, etiam lenae, quae ingenio malo sunt, corruptissimae et scelestissimae sunt. Meminerimus modo Clearetae, Leaenae, Scaphae, mulierum, ut ita dicam beluinis moribus insignium. Cleaeretae est, esse impiam atque inhonestam. Neque fictum, inquit, neque pictum neque scriptum est, quo lena bene agat, quae frugi esse volt [10]).

Negotia sua aeque noscit, ac peritissimus leno. Satis scit, verum amatorem nulla re proterreri posse, quamquam iratus et exacerbatus, tamen ad amicam usque redit [11]) velut piscis, quamdiu recens tamdiu bonus est [12]).

Huius feminae simieis est Scapha, anus inter prodigia numeranda, quae ipsa quondam prostibula humilimo ingenio, nihil elegantiorum meretricis morum, sibi servavit [13]) sed omnia tantum in quaestum confert, quidquid sibi expedit facit [14]) [15]). Si ebriosa ut Leaena [16]) non est, at ingenio peiore ac nequiore.

---

[1]), [2]) Persa 496; 403; Rudens 47, 348.
[3]), [4]) Rudens 1375; 320; Persa 582.
[5]), [6]) Persa 406; Pseudolus 978.
[7]), [8]) Pseudolus 1080—1084; 978.
[9]) Curculio 494.
[10]), [11]), [12]) Asinaria 172; 155; 176.
[13]), [14]), [15]) Mostellaria 161; 181; 275.
[16]) Curculio: bibacem et voracem cum leaena comparavit Plautus.

Astaphium magis est ancilla fidelis quam lena. Etenim suum commodum astuta numquam neglegit, quamvis dominae spectet, nihilo minus socia est fidelissima casuum dominae [17]).

Melaenis optima huius generis mulierum esset, cui clariores partes destinatae sunt, nisi servi sententia [18]) esset tam discors, ut etiam de ea, quae sola pietatem erga liberos praestat, non nimis bene iudicandum sit.

§ XI.

Coqui, sycophantae, danistae, medici.

Coqui meretrices, parasiti tria firmamenta sunt, quae fulciunt et sustinent Plautinas fabulas sicut mediam comoediam Graecorum. Etiam nostris temporibus in Italia inferiore culinae populares in publico sunt. Ideo non mirum est, quod coqui personae publicae olim erant. Ut tempora praetermittamus, quibus coqui τά πάντα domus Romanae erant, callidissimi artifices fallacias componendi, iam Plauti temporibus omnibus illis artibus erant exornati, quibus quando excellentius se gerere studebant.

Coquo et servo Romano eadem placent. Si ingenia coquorum in comoediis spectamus a servis non differre videntur; sunt enim furaces quidem [1]) et mendaces semper gloriosi [2]), praeterea et scurrilibus iocis ultra modum gaudentes. Optimo commercio fruuntur omnium partium domus; parasitis tantum infesti sunt, qui, ut supra vidimus, cum iis de principatu culinae concertant. Sycophantae Plautini sunt, qui pecuniae causa omnia scelera committunt, itaque veteratores sunt et mendaciloqui, falsidici, confidentes. Vaniloqui sunt in describendis rebus, quod vitium ipsi fatentur [3]). Iidem maxima procacitate sunt. Eoque rem adducunt, ut quibusdam personam ipsam denegent. Partes sibi arrogant, quibus numquam digni sunt [4]), omniaque sua facta fraude doloque circumdant [5]).

Denique trapezitae vel danistae, quotidiana negotia publicae vitae procurantes et medici Plautini memorandi sunt.

Trapezitae feneratores miserabiles sunt, qui annos pro magnitudine fenoris reputant. Hospiti cuidam ut cenam praebeant, avaritia non admittit [6]). Ipsi autem bibaces sunt et voraces. Si quis pecuniam mutuam iniquissimo fenore sumpsit, ubi dies solvendi adest, nil respiciunt, miserentur, solumque unum verbum in ore habent:

»reddite argentum [7]).

Dummodo autem ad diem respondeatur, omnes contumelias patiuntur. — Ne plura miseri sunt avari, rudes feneratores. Urbanior fenerator est medicus. Quo haud quisquam gloriosior est nisi parasitus. Paucis verbis eius mores in fabula, quae Menaechmi inscribitur, absolvuntur [8]).

V. Nussbaum.

---

[17]) Trucul. 218.
[18]) Cistell. 395.
[1]), [2]) Aulul. II, 4, 356; III, 1, Pseudolus 885.
[3]), [4]), [5]) Pseudolus 875; 936, 972; 931.
[6]) Curcul. 417.
[7]) Mostell. 573.
[8]) Menaechm. 888.